

JOH.  
BEVEROVICII  
EPISTOLICAE  
QUAESTIONES,  
CUM...

---

Johan : van Beverwijck



Te facimus MEDICINA Deam,  
Cæloque locamus,

Et nomen numenque tuum celebramus, &  
artem.

Clarissimo, & incomparibili viro

D. GERARDO IOHANNI VOSSIO.

*Historiarum Professori,*

IOH. BEVEROVICIIUS. S. D.

**C**larissime Domine, Medicinæ encomium, quod adolescentulus olim (ne cui forte videar ornando spartam meam memet ipsum voluisse extollere) cum te authore ei studio operam dicarem, quo mihi ipsi magis allubesceret, conscripsoram, aliud agenti cum nuper in manus incidisset, visum fuit istud per legendo recensere, quedam addere, & illa expunge, qua Erasmus, Melanchthon, aut Cardanus in suis Encomijs commemoraverant, memor scilicet ejus Synesijs, quod alicubi citas, ἀστερέπον εἶναι ἀπόθανόν τον λόγιος κλέπτειν ἢ θεμα- πα, ὃ καλεῖται τυμβωρυχέη, nonnulla etiam corrigere, sed pauca. Si enim omnia voluissem ad amissim revocare, præstitisset profecto, quod scribit Plutarchus fecisse Philoxenum in libro sibi ad emendandum dato, ἐνθὺς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ὅλος μέχει τῆς κορονίδης τελιγραφή, sive, una litura emendassem, ut loquitur Martialis. Quandoquidem vero, ut ait Pindarus, ἀρχομένης ἔργυς χεῦ θέμεν τηλαυγές πρόσωπον, non ingratuum opinor habebis,

habebis, si tirocinium hoc te duce natum, clariſſimo nomini tuo gratus inscribere volui. Tu enim me non tantum prudenti, & salutari conſilio adhortatus es ad artem hanc, non minus, quam aliam quam libet, ἀνδρὶ ἐλευθέρῳ πείπουν, & prærogativa peculiari περιχειρον ἔχουσαν τὴν χειραν, ἢ Διορχῆ τὸν πόρον : Verum etiam tot annis, queis sub contubernio, & disciplina tua vixi, ita de me es meritus, ut mortalium sim ingratissimus (quales non paucos esse, qui pro beneficio maleficium rependunt, sapienter te conquestum audivi) niſi omnia me tibi debere lubens confiterer. Te veneror, meum & Musarum dulce decus, hunc mihi affectum proprium serves, uti tibi voveo τὴν πρεσβύτην μακάρων Τριάντα, cuius doctes hic laudamus. Dordrechti xii. Kal. Maias cccciiii.

Tῷ αὐτῷ Βοαιάδῃ, τῷ πάντων.

Βοαιάδη φένταυτε πεπμένε πᾶσι θεοῖσι.

Πᾶσι βροτοῖς θείης θαῦμα δαήμοσύνης.

Δέχνυστ' εὐμενέως φίλ' ἐσι πέδος ἄργυρα μαδητῆς.

Ἄγχοντι σφίης θῦσεν ἀπαρχόμενος.

Musis amice, Dis & omnibus, Voffi,

Mortalibusque seculi, stupor nostri,

Sumas benignus, principi eruditorum,

Quos fructuum offert principes Bererricuſ.

AD

## AD LECTOREM

Ἐξάστιχον.

Ιητεὸν πολλῶν ἀνταξίουν ἔμμεναι ἄλλων,  
Ηὔειδεν μέλεις Μύση Μελησιγένεις.  
Τιμῆσαι κέλευθος θεὸς ἀμβροτός ἵπτησε,  
Αὐτὸς ὁ χάρμας βροτοῖς δάσ μέγ', ἀκεσορίν.  
Διτίη ωκρυπτή αὖλ' ἐι σοὶ Φαινεται εἴναι  
Κρυπτή, οἱ Φαινερὴν ξεῖνε Φαινεῖσι λόγοις

Idem Latinè.

Pluribus est alijs Medicus præstantior unus :  
Ipsa Melesigenis carmine Musa canit.  
Quin & honorandum divino præcipit ore,  
Ipse salutiferam qui dedit artis opem.  
In promptu causa est : tibi si minus illa patebit,  
Hec lege, & in promptu iam tibi, lector, erit.

ELEGIA  
IOHANNIS WESTERBURGIF  
ad Clarissimum Virum.

Ioh. BEVEROVICUM, Artium, &  
Medicinae Doctorem Patavinum.

**U**t ragus auriferas Pactolus volvit arenas  
Nec tantū liquidis pascua mulcet aquis:  
Et pariter toto Thœbus gratissimus orbe  
Lucet, & omnigeno cuncta calore foveat:  
Munere sic gemino clares, vir magne, Deorū,  
Cingit & augustum laurea bina caput.  
Sive opus est veterum monitis sapientibus uti,  
Graiaque Socratico pectore verba loqui:  
Sive opus affixis lecto mortalibus ægris,  
Arte Machaonia triste levare malum,  
Remque tulit, methodumque Deus, mentem-  
que peritam  
Addidit, & medicæ dogmata sacra manus.  
Secta bipartito nec mens discurrit utroque:  
Maximus ingenio, maximus arte vales.  
Nec latut' se iuvat: studijs meritisque nitenti  
It comes invicto candida fama gradu.

Et

Et qualis cœlo excelsus Iovis emicat ales,  
Dum strepit impura sordidus anser humo :  
Tali honoratum caput inter sidera condis,  
Neve humiles motus mens generosa capit.  
Et velut in cunis fertur Tyrinthius heros  
Nuncia virtutis signa dedisse sue -  
Effigiemq; prius crassa quamcunq; Minerva  
Inchoat, & leviter pictor adumbrat opus ;  
Sic quoque sublimesque animos, & prodiga  
Divum

Munera, nec patriæ nomen inane tue,  
Itala dum quondam studiosum regna tenerent  
Sensere Euganei clara Lycaea soli.  
Totus ubi calidis Aponusque salutis undis  
Fumat, Hamadryadum Naïadumq; domus  
Et pater Eridamus, Phœbo gratissimus amnis,  
Adriacum Venetas in mare volvit aquas.  
Vnde pedem referens, Coà celeberrimus arte  
Cincta triumphali tempora fronde geris.  
Nec dubiam titulo laudem mentiris inani,  
Sensit Apollineam fœmina virque manum.  
Dumque alius turpi vitijs alimenta mini-  
strat

Desidiâ, fluxas deperit alter opes ;  
Ille fugax rerum vitæ quas postulat usus  
Se natum soli sustinet esse sibi ;

Te iuvat insomnes vigilando ducer e noctes,  
Atque alijs pretium vivere gru nde putas.  
Quin veteri Belgæ vivant si more quiritum,  
Quo de servato cive corona datur;  
Innumera dudum querna sub fronde labores,  
Civibus & toties certa reperta salus.  
Sola nec ingenij est urbs testis prima Bata-  
vum.

Orbis habet famæ conscientia signa tua.  
Quid possit medicus iam te didicisse magistro  
Expedit, & quantos ars tua iactet avos.  
Scilicet hanc prima monstravit origine rerum  
Ambigutas hominum commiserata vices,  
Pronaque in auxilium flecti clementia summi  
Numinis: haud Pharia primus Osyris bumo.  
Nec sollers Asclepiades, nec Apolline natus  
Arabus, in terras munera tanta tulit:  
Aut nimiū prestans Cressis Epidaurius herbis.  
Quem Iovis excisum fulminis igne ferunt.  
Ipse Deus, quo nil extat sublimius uno,  
Solus honoratae contulit artis opem.  
Ille salutiferas herbas, & si qua per agros  
Gramina Pœonijs usibus apta, dedit.  
Quin docuisse vides animalia cœteria, qnan-  
tum  
Docta necem contrâ sit medicina bonum.  
Saucia,

Saucia, dictamno sanat sua vulnera capra;  
Hostis & augurium fallit inane sui.  
Et feles calamintia iuvat, pullis sua Progne  
Cæca chelidonij lumina sanat ope.  
Pastus hyoscyamum cancris sibi prospicit  
ursus:

Et valet officio graminis ægra canis.  
Pascua si timidis virosa Phalangia cervis  
Inficiunt, hederæ noxia damna levant.  
Callida serpentum rutæ mustela venenis  
Pugnat, & hoc clypei tegmine tuta latet.  
Sic alvi rostro remorantia pondera solvit  
Grata Parætonia nobilis fbis humo.

Quisquam igitur tam mentis inops non æsti-  
met artem,

Qua sine longævum vivat in orbe nihil?  
Qua sine Parcarum stat inexorabile numen,  
Summa licet toties sint tibi vota mori?  
Serrano dubiæ mensæ sternantur in ostro,  
Aureæ versicolor pocula signet Onyx:  
Frustra epulas, frustra prælis elisa Falernis  
Ægroti famulus vina ministrat hero.  
Quid tibi robustæq; fores, laqueataq; tecta,  
Altaq; Phidiaco marmore structa domus?  
Quid togæ ferratusq; nitens post terga satelles  
Surgere vel tumidos quos habet aula Deo s?

Quid

Quid conjux forma insigni, viridiq; juventa  
Proderit? aut Crassi copia dives opum?  
Si tremulos furiale malum depascitur artus  
Febris, & haud Siculo mitius igne furit:  
Si grauis insumbens vitiatis sanguinis humor,  
Ilia distento tormine cruda secat:  
Vel negat officium venter vel noxia labes  
Viscera suffusis si tumefecit aquis.  
Crede mihi, spernes fulvi quodcunq; metalli  
Bessus, & aurifera Dalmata fodit humo.  
Sordebit tibi pulchra domus pulcherrima  
coniux

Stabit Acidalijs squallida tota comis,  
Nil sceptri regalis honos, nihil aurea vestis  
Conferet, aut Tyrijs vellera cocta focis:  
Situa perpetuo cruciatibus obruta diris,  
Membra per ingratos sunt voluenda toros.  
Provida nec medici mixto sollertia succo,  
Ad mala præsentem tristia portat opem.  
Vivere te dicent aliqui: modo vivere credant  
Pondus iners animæ corpus inane sue,  
Quodque gravi pressum morbo, totumque  
labascens

Dulce mori, contra vivere triste putat.  
Vernet ager, picto florum plebs aurea prato  
Rideat, & liquidum gutture cantet avis:

Post q;

Postque pruinosæ languentia frigoræ brumæ,  
Pandat odoriferas fertilis annus opes.

Quid tibi, nativum si decoquit aura calorem  
Imminet & aitæ frigida brumatue?

Disce igitur gens morborum subiecta perenni  
Imperio, vitæ tristia fatæ tue.

Non tot in Jonio Syrtis mactuenda Maleæ,

Scyllaque zeliferas hausit avara trabes-

Non tot vere novo flores, æstate cicadæ,

Nec timet infestas Palladis ales aves:

Quot miserios morbi invadunt velut agmine  
facto,

Obruat ut telis ille vel ille suis.

Et licet incolmis vivas, tamen usque timebis  
Mille malis species, artificesque necis.

Equis erit tantos solus qui pugnet in hostes,  
Demat & exitij servitijque metum?

Non ferus Æacides, non impiger Hector uterq;  
Innumerè quamquam militis instar erat.

Non Cæsar toties victor. Podalirius unus  
Ecce opus ingenti Cæsare matius agit.

Ille stygt mactans homines, ferrumque mini-  
strans,

Emathiām socio sanguine tinxit humum;

Hic vitæ custos prolongatorque, supremâ  
Eripit ex animos seminecesque die.

Quin.

*Quin etiam revocans animis membrisque ui-  
gorem*

*Molliter effetas vivere curat avos.*

*Visus hebet lachrimaeque fluunt stillantibus  
hirquis?*

*Tristes supercilium lumina torva tegit?*

*Salsus aquæ mordet declivia tempora fluxus?*

*Impendent humili terga recurva solo?*

*Nec cibus ora iuvat, nec mulcet lumina sonus*

*Vexat inæqualem psora molesta cutem?*

*Torriget arcanis sociatas viribus herbas,*

*Et mala quæ subito pharmaca tanta levent*

*Pharmaca moroso non aversanda Catoni,*

*Quæ patrijs referant Androgeona focis.*

*Quæ passim malè fœcundos, nimiūq; timētes*

*Ne præmat illustres fœda ruina domos.*

*Exacto faciant bis quino mense parentes,*

*Et steriles multa crescere prole thoros.*

*Quin idem duros uteri levet arte labores,*

*Ne gravidae rigidum viscera ledat onus.*

*Ac natalitos infans evadere nexus*

*Possit, & haud visum concidat ante diem;*

*O superis certe prognatam autoribus artem,*

*Quæ nondum genitos jam genitosque beat?*

*Cui laudes, meritumque decu testantia reges*

*Munificatoties dona tulere manu.*

*Narr*

Nam medicum gens omnis amat , gens omnis  
adorat,

Vtque Dei misericordia auxiliantis eget.

Arsacides, & mollis Arabs, & decolor Indus,  
Pontus, & Ismario littora serva duci:

Et licet humana dirus sua viscera carne

Orbe novo Patagon, vel Scytha pascat equi;  
Mitescet, medicoq; manus portendet amicas,  
Officioque aliquo demeruisse volet.

Vtque mari deservit hyems Aquilone remissio,

Claraque diffusis imbris aura reddit;

Sic medico, tristi posita feritate, benignus

Quamlibet à dura stirpe Tyrannus erit.

Quam hene, quod taliter Dī voluere potentē

Arte, quod & mites erudiere Dea:

Scilicet ut pro sis hominum tot millibus unus,

Grataque sit studij mentio sola tui.

Improbitas alium popularis ventilet aura,

Armaque plebeiae seditionis amet.

Ille furens animo sevisque affectibus impar,

Appetat, ut noceat pluribus, esse potens.

Mobilis hunc levet aula; oculos ut stringat  
honorum

Fulgor, & in poenam gloria vanatrahat,

Docta tribunales peragat fucundia causas,

Et crepet insano fortia verba foro.

Alter

Alier inexpertus bellum, fera prælia laudet,  
Et putet armiger acuncta licer e manu :  
Scilicet à primis ut mercenarius annis,  
Verbera consuescat servitiumque patti.  
Et tuus ecce iterum nunc Westerburgius æstro  
Concitus Aonidum dulce retentet opus :  
Audiat ut studiū demens quid inutile tentas?  
Jurgiaq; excipi at gentis amara suæ.  
Ite Heliconiades, nil proficiētia vati  
Numina, nec studijs firma futura meis.  
Ite procul, quos iura iuvant, artesq; togatae,  
Aut leve quos vulgi, vel grave Martis  
opus ,  
Ite procul, certam præstat medicina salutem :  
Ite procul, primo stat medicina loco.  
Vestra neces, rixas, nugas for a munera spirant  
Præsentem monstrat quelibet herba Deum.

IOH. BEVEROVICII,  
**MEDICINAE**  
*ENCOMIVM.*

**Q**UAM plurimos videre est acumine ingenij, & facundiæ ubertate præstantes, dum utriusque specimen edere, & quantum dicendi facultate valeant, ostentare cupiunt, res abjectas, humiles, illaudatas, perinde ut magnas & laudabiles efferre, summisque extollere laudum præconijs. Ita comæ, teredinis, Thersitæ, febris quarto die recurrentis, calvitiei, podagræ, anseris, umbræ, canis, & quorum non ? laudes varij scripsere : muscæ denique Lucianus, qui parum abest, quin ex muscâ, quod proverbio dicitur, faciat elephantum. Sed omnium, ususq[ue] solet, elegantissimè, & mirâ venustate Asini encomium nuper edolavit, equestris illud & literati ordinis immortale decus, *DANIEL HEINSIVS*, in quo non minus urbanè, quam prudenter, quorundam ridet ignaviam, quibus cum elephantinum, vel asininum potius corium Fortunæ cæcum numen purpurâ tinxerit, literarum & literatorum contemptum præ se ferunt, eoque nomine se solidè beatos, & sapere plusquam Thalem existimant. Non difficile quidem fuit viris ingeniosissimis materiæ

materiæ sterilitatem superare sœunditate ingenij & doctrinæ: mihi verò cum non liceat esse tam diserto, quod ingenio & industria deest, à materia quæram, & utriusque inopiam ex Medicinæ copiâ supplere conabor. Latissimus hic dicendi campus, in quo unde incipias plurimum, ubi desinas vix quicquam reperire sit. Tot siquidem de Medicinæ dicturo laudibus se offerunt excellentium virorum testimonia, tot rationum momenta, tam immensus demonstrationum oceanus, ut si singula, aut præcipua saltem referre vellem, vox & tempus mihi citius, quam oratio deficeret. Quare animus est leviter pleraque transire, ac tantummodo perstringere, ut ex ungue quod dicitur, leonem sit cognoscere & è paucis, quæ ex ubere penu depromam, de reliquis conjecturam facere: ne forte disciplinæ, quam non ingenio, quod sentio quam sit exiguum, sed veritati consilus, laudare aggredior, dignitas infantiaæ meæ culpa deterratur.

MEDICINAM elegantis Philosophiæ apud Romanos parens M. Tullius cooptat artibus honestis, quibus prudentia major inest, aut non mediocris utilitas quæritur. Eam sapientissimus Seneca ponit inter artes liberalissimas: Plutarchus earum nulli elegantiâ, splendore, jucunditate cedere affirmat: Lucianus cæteris esse honorationem. Hippocrates, artium omnium nobilissimam prædicat, & majorum institutis dignam esse judicatam,

dicatam, quæ Deo adscriberetur. Ita & Poëtæ, qui principia tingendi plurimum è vero trahunt, ut artis originem cælo dicarent, eius inventores Dijs assignarunt quod postea detracto figmentorum involucro à Philosophis non obscurè confirmatum est. Certè si hoc proprium est Deorum immortalium, ut pro sint mortalibus, quis non concedat hos singulari Deorum benignitate obtinuisse autem illam, qua nunquam carere potuerunt? Mane meridie, noctuque bene valerè semper necessarium est, ait Lucianus.

Hæc necessitas dōcumento esse potest artem, quæ valetudinem curat, non modo esse artium omnium antiquissimam, sed cum ipsis pœnè hominibus natam. Verissimum enim est, quod naturæ genius Aristoteles literis consignavit, artium illas primas inventas esse, quarum operâ homines minimè carere poterant: cæteras, quæ vel ad voluptatem, vel ad ornatum, vel ad contemplationem potius, quam vitæ necessitatem pertinent, per otium deinde suisle excogitatas. Humani autem corporis constitutio statim post lapsum infirma, fragilis, & multis morborum causis, quas vitare nequeat, exposita. Quis igitur in dubium vocer primos mortales, cum paſsim viderent se mācie & nova febrium cohorte obrui: cum viderent actiones nobilissimas, ad quas se natos noverant, morbis & ægritudinibus impediri, quis, inquam, dubitet, homines, quos ob inquirendi & investigandi sa-

gacitatem αλφικάς poëtæ vocant , non relictis  
alijs omnibus , investigasse , votisque omnibus à  
Deorum numine expetijſſe artem illam , quā men-  
tem sanam in fano corpore tueri , vitamque bea-  
tam , & à morbo ium cruciatu liberam traducere  
posſent ? Nisi fortè credere velimus homines di-  
vina mente , & consilio præditos , omissa languidi  
corporis cura , post habitis ægritudinum tormentis ,  
omnem operam , curam , sollicitudinem impendis-  
se Grammaticis , Musicis , Logicis , Legibus ? pœne  
suffocatum ab angina de alio potius cogitasse ,  
quam de remedio ? Demosthenes certe , fruſtra ad-  
versarijs αγνοεῖχε obijcientibus , ne cauſsam ,  
quam pridie agere inceperat , absolveret , ab angi-  
na cauſsam reperit , & quidem argentea . Sed ne  
longo circuitu manifesta probentur ; perſuadent  
rationes , & S. Scripturæ confirmat authoritas , A-  
damum primum hominem primum exercuisse  
Medicinam . Quod ipsum non Hebræos modo  
Theologos , sed Arabas quoque aſſerere testatur  
Ficinus . Quorsum enim à Doo Opt . Max . omni-  
faria rerum cognitione instructus , niſi ut utilia  
persequeretur , nocitura fugeret , ſuumque corpus  
à morbis , quibus id peccando reddiderat obno-  
xiūm , liberaret ? Ab hoc humani generis & Me-  
dicinæ parente ars ad posteros , veluti per manus  
tradita , pervenit ; unde vetuſtissima in libris Mo-  
fis , Salomonis , Paralipomenis , Hebræorum Me-  
diorum mentio . Ab his paulatim in reliquias O-  
rientis

rientis regiones propagata, Ægyptum præcipue quæ & ab Homero medicamentorum feracissima celebratur. Ægyptij certè (quos hominum sapientissimos & antiquissimos putavit Herodotus) ut Medicinam, sic inter alia & circumcisionem Hebrewis debent, quamvis primos apellas eos fuisse author sit Diodorus. Antiquissima tamen hæc, ut & Medicina apud Ægyptios, quippe quos edoctos legamus à Iaccheno Medico accensis ignibus despellere pestem. Qui Iacchenus vixisse traditur circa annum à diluvio ducentesimum & septuagesimum. Post hunc Osiris, & huitis atque Isidis filius Orus, quem eundem cum Apolline faciunt, aliquique Medicæ artis fama celebres in Ægypto florueret, tanto numero, ut Plutarchus, post Hominem, & Platonem, scribere non dubitaverit, Ægyptios omnes haberi pro Medicis. Certe Plato ipse in Ægyptum profectus, cum ibi morbo corripetur, à sacerdotibus fuit curatus marina lotione. Vnde natus versiculus:

Θάλασσα κλύξει πάντα τ' ανθρώπων κακά

*Mare universa proliuit hominum mala.*

Refert Herodotus in hac gente singulos morbos suos habuisse peculiares Medicos: & apud eundem legitur, Cyrus Persarum monarcham petuisse ab Amasi Ægyptiorum rege, ut optimus sibi oculorum Medicus mitteret. Orus Apollo Ægyptius aitem, quām a parentibus acceperat, ingeniorum & disciplinarum altrici Græciæ primus intulisse

perhibetur, cui idcirco inventio eius à Platone alijsque assignatur; vnde ipse apud Ovid.

*Inventum Medicina meum est; opifexque per orbem  
Dicor; & herbarum subjecta potentia nobis.*

Apollinem patrem imberbem, sequutus est barbatus, (vt de eo jocari Dionysius solebat) filius Aesculapius, quem Mercurius Trismegistus Aegyptium, ut patrem, fuisse asserit. Hic apud Græcos, Galeno & Celsi testibus, vetustissimus Medicinæ auctor celebratur. Qui quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc scientiam paulò subtilius excoluit, in Deorum numerum post patrem receptus est. Huius tanta fuit medendi scientia, ut mortuos in vitam revocasse credatur. De Hippolyto id narrant, Plinius, Plutarchus, Lactantius, Ovidius: de Androgeone Propertius his versibus,

*Et Deus extinctum Cressis Epidaurius herbis  
Restituit patrijs Androgeona focis.*

Sed hanc ob caussam Aesculapium fulmine dictum Virgilius, & Plinius prodidere, ne scilicet fatalis rerum ordo interrumpetur. unde Ovidius.

*Iupiter exemplum veritus, dixerit in illum  
Fulmina, qui nimiam noverat artis opem.*

Plato tamen ex Pindaro & Tragicis refert, ideo fulmine percussum, quod divitem, & improbum, morti jam vicinum, sanitati restituisset. Ipsum vero non fulmine, sed causa, febreve ardenti correptū, velut igne cœlitus demisso, conflagrassè ingenio-

se interpretatur Boecatius. Quicquid sit , nec vita functum veneratio defecit, quam auxerunt nocturnæ ægrorum in eius templo incubationes ; quasi, inquit, Cicero , Æsculapius per somnium curationem valetudinis præscriberet. Testes huius cultus antiquæ inscriptiones , tum Plutus ille Aristophanis , qui cæcus in Æsculapij æde cubans visum recepisse narratur. Meliori fortuna, quam Plautinus leno , qui in fano eius frustra se dormivisse conqueritur : at æquum erat castissimæ artis præsidem parum propitium esse prostitutæ pudoris homini. Æsculapij in medendo peritiam laudat Homerus , cum eum vocat :

*Χάρημα μεγ' αὐθρώποισι κακῶν θελκτῆρ' ὀδυνάειον,  
Gaud. um magnum hominibus , malorum delinitorem  
dolorum.*

Fusius vero artes eius celebrantur à Pindaro 111. Pyth. vbi & cum Ovidio, & Apollodoro Chironis discipulum facit. Fuit hic Chiron centaurus Thessalus , Achillis , Herculis , & Iasonis in medendo præceptor , in quo tantum emicuit medendi Solertia , ut

*πάντων ιατρὸς τῶν ἐπ' ἔργῳ θεῶν,*

*Omnium Medicus in cœlo deorum,*

Homero, Luciano, alijs sit habitus , multis etiam medicinæ inventor. Sed in hoc mirum , quam variant veteres . Nam Ægyptij artis nostræ repertorem statuunt Mercurium, vel Isidem, vel Apin, regem suum, ut videre est apud Diodorum. Alij, teste

Plinio, Arabium Apollinis filium, Aeschylus denique Prometheus. Sed quod singuli, novi quid, humano generi salutaris repererint, grata posteritas, eos, tanquam universæ artis inventores, celebravit. Porro fuere Aesculapio duo filii paternæ avitæque disciplinæ heredes, Podalirius & Machaon, ijdem & belli duces, & Medici, ut ex Homerò patet:

Τῶν δύο τηγείδην Αἰσχυλπτέ δύο πάιδε,  
Γητῆρ' αγαθώ Ποδαλέρος ήδε Μαχάων  
Quos dico ducebant fratres, Phœbique nepotes,  
Matre Coronide, præstantes arte medendi,  
Belligerique ambo, Podalirius atque Machaon.

Hi bello Troiano ducem Agamemnonem sequiti, non mediocrem opem suis comilitonibus attulerunt tam medendo, quam pugnando. Machaoni successit filius Nicomachus, ex quo (auctore Suida) progenitus est Nicomachus, pater Aristotelis philosophi. Decimus quartus ab Aesculapio fuit Nebrus, clarissimus Asclepiadatum, cui filius Gnosidicus, quem librum scripsisse de membris, fracturis, & articulis, ex quorundam sententia memoria prodidit Galenus. Gnosidicus filium habuit Hippocratem, & hic Heraclidem, qui pater Hippocratis, vere Medicorum principis, cum fallere nec falli, si Macrobio fides, nequiverit. Ita ut non immrito eius meritis ἀντισφόν hoc Epigramma sit scriptum:

Ιπποκράτης Φάρνην μερόπων, όσηστο λαῖον

Ἐθνεα καὶ νεκύαις ἦν σπάρις εἰν αἰδή

*Lux hominum Hippocrates, dum gentibus ille mem-  
detur,*

*Copia per Stygias rara petirit aquas.*

Non ἀτόπως iam dictis coronidem imponere posse videor Sorani elogio, Apollinem quidem Medicinam invenisse, Aesculapium amplificasse, Hippocratem perfecisse. Reliquit hic duos filios Theissalum, & Draconem, qua patris gloria, qua suis meritis longe clarissimos. His authoribus Salutaris nobis ista professio increvit. Quitamen in vulgo eam promiscue non extulerunt; sed velut in censu reponentes, ad liberos hereditario iure transmiserunt; quasi artis divinæ vsum hominibus aliter impertiri nefas esset. Hæc in nobilissima Asclepiadatarum familia annos mille, & ducentos permansit, eorumque propagata studio, non modo Græciam, sed universum terrarum orbem divinitatis suæ radijs illustravit.

Atque ob illam ipsam necessitatem, qua primum humano generi Medicinæ ars parta &, vt Hippocrates docet, inventa, ybique etiam ab omnibus summo applausu iam olim excepta. Referunt id de veteribus Maximus Tyrius, Plutarchus, & Servius; nominatum de Babylonij Herodotus, de Assyrijs, item de Callaicis. Asturibus, & Cantabris, Hispania gentibus, nec non de Bastetanis, Strabo, quas dicit vetusto ritu Ægyptiorum solitos

fuisse ægros in compita deferre , & à prætereuntibus remedia sciscitari.Idem de veteribus Scotis testatur Boëthius.Qui igitur aut eodem moibo laboraverant, aut laborantem alium viderant , idem, quo ipsi fuerant, curati , medicamentum exhibabant. Ita qui carebant Medicis , Medicina carere non poterant. Quo etiam spectat, quod de Nomadibus prodidit Herodotus , eos filijs quadrimis venas temporum, aut verticis inurere, optimo contra defluentem è capite pituitam succellu. Sic adhuc in hodiernum diem vſtulationem illam sine Medico adhibere solent Arabes,& Turcae.Dolore enim capitinis laborantes , vel defluxione in quamvis corporis partem, cutem vſtulant cum fomite aliquo, aut panno lineo incenso, magna que id esse efficaciat observavit Bellonius.Solent eadem gentes & alijs vti,Medico incon.ulto, remedijs. Quod etiam rusticis vbiique terrarum solemne est. Vnde videre licet, apud agricultos quoque homines necessitatem, Medicinæ locum facere. Et certe nulla regio est, nulla ætas, nullus hominum ordo , qui divinis huius artis facultatibus carere possit: cuius leges ut gentium omnium èque communes, ita cunctis hominibus maxime salutares. His Imperatores, Reges,Principes,alijs soluti legibus, parent, aut certè non impunè refragantur. Has matri, quæ infanti mammam dat, matri, quæ peperit, antequam peperit,imò parentibus liberis operam daturis accurate observandas, præter Medicos , Plutarchus,

Huaitus,

Huartus, & nuper melioribus dubito argumentis,  
an ver sibus demonstravit Iac. Catsius ; Eques , &  
Ordinum Bataviæ consiliarius. Afferam huius rei,  
vnum ; quod pro multis esse potest , exemplum.  
Cum aliquoties deliberatum esset de repudianda  
Catharina Medicæta , annos complures sterili ma-  
trimonio Henrico Valesio, postea Gallorum regi,  
juncta, & ob publicam pacem, quæ, regno ad aliam  
fem delato, vacillare plerumque solet , tantum  
non res suas sibi habere juberetur , commodissime , & veluti deus è machina adstituit clarissimus  
medicus, Ioannes Fernelius, qui *quod à naturâ ne-  
gatum esse videbatur* (Scævolæ Sammarthani verba  
num) invicem sterilitatem à domo regia repulit , Vale-  
sumque nomen optata generose & prolis accessione propa-  
gandum curavit. Cui igitur debuit regina hoc no-  
men ? nonne Fernelio ? cui rex ipse uxorem , cui  
liberos ? nonne Fernelio ? cui florentissimum Gal-  
lie regnum tres reges Francicum, Carolum, Hen-  
ricum ? nonne Fernelio ? Digna hercle , illustris-  
sima gens Medicorum , quæ originem Medico  
debere nomine & quinque pilularum insignibus  
non obscurè testatur, ut non solum Italorum inge-  
niosissimis dominetur, sed artis Medicæ ope in re-  
giæ dignitatis fastigio conservata potentissimos  
Europæ reges produxerit. O artem admirandam  
& incomparabilem, cuius præsidio nondum natu-  
ræ, nondum geniti egemus ! Natis & in lucem editis  
quid luce hâc in quâ spiramus, vivimus, & jucun-  
da

da consuetudine inter nos coniungimur , optabilius ? quid vita ipsa cunctis mortalibus carius ? Eam tamen quisquis diu multumque cruciatur , morbisque intabescit (quod Xerxi prudenter apud Herodotum inculcat Artabanus) cum morte commutare preoptat , exclamans cum Philoctete ,

*Heu quis falsis fluctibus mandet*

*Me ex sublimi vertice saxi ?*

*Iam iam absumor , conficit animam*

*Vis ruboris , ulceris astus .*

Non aliter , qui acutissimis doloribus torquetur , cum misera Didone

*Mortem orat , tædet cœli convexa tueri :*

Cum in luctu atque miserijs , ut ajebat Cæsar , mortem ærumnarum requiem sperat . Quæ enim vitæ dulcedo , quis vult illis , qui calculi doloribus lancinantur , quorum membra & articuli dolore velut equuleo distorquentur ? quis non multò malit mori , quam tam miserè vivere ? Inter asperrimos dolores , refert Plinius , haberi calculatorū cruciatus ex stillicidio vesicæ , proximum stomachi , tertium capitis ; nec ob alios fere mortales sibi mortem conscivisse . Ita Claudio quoque Imp . se stomachi dolore correptum de morte consicenda cogitasse fassus est , ut narrat Suëtonius . Sunt tamen & plures , qui homines non è trivio ad voluntariam mortem adegere . Narrat Plinius Nepos summos viros , Corellium Rufum ob atrocissimos dolores , qui pedibus solis prius insederant , mox omnia membra

membra pervagabantur, & Silium Italicum, qui insanabilis clavi tædio ad mortem irrevocabili constantia decucurrit, spontanea in media vitam finivisse. O horrendam dolorum immanitatem, quæ in tanta mala miseros præcipitat ! Vidimus ipsi (horresco referens) homines vitæ inculpatæ, nullius sceleris sibi consciens, ne pœnam prævenisse putentur, è sola melancholia alios se in aquas præcipitasse, alios gladio in viscera adacto, aut gula laqueo fracta, morbi & vitæ finem invenisse : qui si Medicis commissi fuissent, potuerant vitam & salutem olleboro redimere. Non immorabor in commemoratione eorum, qui quod Medicus non esset adhibitus, vivi pro mortuis sepulti, animam cum gemitu & eiulatu sub terra miserrimè effudere. De acutissimo philosophorum Scoto, memoriæ proditum est, quod in sepulchro, cui attonito morbo, quem Græco nomine Apoplexiā dicitur, percussus omnique sensu & motu privatus, pro mortuo traditus erat, excitatus postea, cum exitum nullum inveniret, faxo illiserit : & ita violenta & indigna morte perijisse postea compertum. Quot exempla referre possem de mulieribus ex vteri suffocatione pro mortuis habitis, sepultis & verè tandem suffocatis ? At hisce malis medetur illa vitæ, illa salutis alma conservatrix Medicina ; illa solida confert mortalibus bona, sine quibus reliqua omnia vix bona dici merentur.

valeat

---- raleat possessor oportet,  
 Si comportatis rebus bene cogitat uti,  
 Sincerum est nisi r.us , quodcumque infundis æces-  
 sit.

Darium potentissimum Monarcham ex luxato  
 pede infirmum & dolentem non opes, non regna,  
 sed Democedis medici, & quidem captivi indu-  
 stria sanavit. Alexandrum è Cydni fluminis re-  
 frigerio periculose laborantem , non pretiosissi-  
 mæ Persarum gazæ , quas alteri Dario eripuerat,  
 sed fidelis Philippus , & dignus tam confidente  
 ægro medicus, medicata potionе omnibus, præter  
 ipsum, cuius periculo exhibebatur, suspecta, ad pri-  
 stinam sanitatem revocavit. Vnde recte Venusinus  
 poëta,

*Non domus aut fundus , non æris accervus , & au-  
 ri,*

*Aegroto domini deduxit corpore febres.*

Et vt nec divitiæ, nec dignitates, nec alia, quæ ma-  
 ximo in pretio haberi solent , sanum hominem  
 reddere possunt : ita etiam earum possessio om-  
 nis , nec iucunda , nec vtilis ægrotanti. Quis  
 enim usus decumbenti , & nauseanti omnifarij ci-  
 borum apparatus ? quæ voluptas calculoso , ar-  
 thritico, aut alia corporis parte dolenti, si usus au-  
 reis, & argenteis ipsi ministretur ? quis for-  
 mosæ uxoreculæ usus languenti marito ? Qui  
 propter voluptates sibi ipsis non imperant, sed cupiditati-  
 bus suis aguntur, aut inclinantur, docendi sunt , & ad-  
 monendi,

monendi, maximam sui partem voluptates ex ipso sumere corpore. Et quemadmodum Spartani coquo acetum, & salem dantes, reliqua in ipso, quod mactandum erat, animali iubebant querere: ita in corpore eius, quod buic exhibetur, condimenta præcipua insunt, si sano ei exhibetur atque puro. Quod enim cibus potus si aliquis dulcis est, quod pretiosus, id à sua natura habet, & extra corpus frumentis. Suavis autem sit, & iucundus ita demum, si frumentis corpus secundum naturam affectum eo delectetur. Qui verdi cum arersantur, aut ebrij vel agroti sunt, apud eos omnem suam gratiam venustatemque amittunt. Mox addit, sicut comedatores ebrij in domum lugentium invadente, non laxitiam, aut delectationem affertunt, sed fletus excitant: ita venus, obsonia, balneum, vinum, corpori adhibita contra naturam affecto, pituitam bilemve concitare, tumultuque illato etiam sanas adhuc partes corrumpere; speratae autem voluptatis & delectationis conferre nihil. Cum igitur nihil in hac vita dulce possit esse absque sanitatem, cumque non vivere, sed valere, vera sit vita, liquet vitam nec iucundam, nec vitalem, ut loquitur Ennius, esse posse, ubi sanitas non adest, ideoqua hanc rebus omnibus præferendam. Non fugit hoc Pyrrhum magnum Epiri regem, quem literis proditum est, cum immolatus templum inviseret, non regni amplioremodum, non de-

de hoste victoriam insignem, neque item gloriam illustriorem, aut maiores divitias, aliave, quibus plerique mortalium attoniti inhiant, sed sanitatem à Dijs immortalibus comprecari solitum fuisse, ceu parte hac beneconstituta prosperius cessura vide-rentur omnia.

*Si ventri benè, si lateri est, pedibusque tuis, nil  
Divitiae poterunt regales addere maius.*

Hæc etiam mouere sapientissimum Pythagoram, ne alia vteretur in epistolis salutatione, quam vt iuberet amicos bene valere: quod etiam apud Latinos observatum, ex epistolis Ciceronis, & aliorum liquet. Sed vbi rerum testimonia adsunt, non opus est verbis, cum nemo inficias ire ausit, aliud sibi sanitate gratius esse, aut iucundius. Quod si tam facile conceditur de prospera corporis valetudine, tanto magis de animo confitendum: eoque maior & sublimior, quæ utrumque regit, moderatur, & conservat, Medicinæ artis censeri debet. Ita natura comparatum est, vt corpus, & anima proportione quadam harmonica congruant, metusque corporis in animam, sicut & animæ in corpus facillime, & vehementissime penetrant. Refert Plato in Charmide, Magos illos animæ & corporis medicos, Xamolxidis, & Abaridis Hyperborei se-ctatores arbitrari, omnia corporis & bona, & mala ab anima fluere in ipsum corpus, quemadmodum oculorum qualitas fluit à cerebro, cerebri à toto corpore. Atque ut impossibile est oculos curari, nisi

totum corpus purgetur: sic corpus ipsum, nisi anima bene valeat, non posse bene valere. Ita quosdam ex gaudio, ira, mœrore, alijsque animi affectibus in graves corporis ægritudines incidisse, imo ex repentinis repente mortem obiisse ab omni ævo observatum est. Nec minor corporis in animam potestas. Sic in Epilepsia, Apoplexia, Catalepsi, Lethargo, alijsque cerebrum, sacram Palladis arcem, stupore infestantibus morbis: Sic in Phreniticis, Maniacis, Melancholicis, alijsque atra bile percitis, morbidum corpus animum in consensu trahit,

*Atque affligit humo divine particulam auræ.*

Quin etiam animi mores sequi temperamentum corporis præter Aristotelem peculiari libello docuit Galenus. At eorum, quæ corporis temperiem mutare possunt, vires, & facultates considerat Medicus, ac proinde ut corporis, sic & animi ac morum vitia corrigit, mentem acuit, memoriam confirmat, omnes denique animæ functiones alacriores reddit. An non igitur summè necessaria terrarum orbi medicina, quæ animal hoc Deo simillimum, (ut loquitur Mercurius Trismegistus) quem vocamus hominem, tantis bonis ornat, tantis muneribus donat, à tot tantisque malis & cruciatibus tuetur atque conservat? Nec, ut iam dicere incepi, humani corporis, quod tum figura, tum partium commoditate reliquis præstat animantibus, quæ Natura prona atque ventri obedientia finxit, tantummodo

tummodò valetudinem curat: sed animi quoque incorruptibilis, & (cum Martiano dicam) æternitatis diadematè coronati imperium, quod nobis cum Dijs commune voluit esse Sallustius, propugnat, & ne corporis servitio cum belluis subiicitur, sedulò & diligenter vitare docet, Lucret. lib. 111.

---- *mentem sanari, corpus ut ægrum.*

*Et pariter fœcli Medicina posse videmus.*

Hinc scribit Theophrastus, Herbas ad animum, & mores multā vim habere; & Galenus Theriacam non esse inefficacem ad animi prudentiam, acrimoniamque: corroborare enim sensus, mentemque vaporibus liberatam subtiliorem reddere. Quare Phœbus, ut testatur Hippocrates, animi & corporis curationem in unum coire arbitrabatur. Quę etiam caussa cur apud Ægyptios atque Persas iudei sacerdotes essent, & medici. Hinc etiam Carneades scripturus adversus Zenonem, ut refert Agellius, vel disputatus a viuis Chrysippum, ut vult Valerius Maximus, superiora corporis elleborō pugnavit, ne quid ex corruptis in Stomacho humoribus constantiam, vigoremque mentis labefaceret. Hoc est, quod scribit Plato, purgationes & pharmaces medicorum hoc unum intendere, ut purum hominem & corpore & anima reddant. Si Cambysī lacro laboranti morbo, indeque turbato cerebro, fidus adfuisse medicus, non usque ad fratri, sororis, uxoris, & aliorum domesti-

mesticorum cædem insanivisset. Si etiam Cæsari Caligula, corpore & mente valetudinario adhibitus fuisset Medicus, qui cerebrum, ut ipsum aliquando cogitasse scribit Suetonius, purgasset, non immani rabie efferatus ad venenorum & pugionum scrinia sœvijset. O mentis conseruatrix Medicina, expultrixque furoris, quid non modo corpusculum hoc, sed animus, sed vita hominum sine te esse potuisset? Tu humanum genus propagas, tu furibundos & insanos ad bonam mentem revocas, depositos suscipes & restituas. Ad te confugim⁹, à te opem petimus, tibi nos, vxores, liberos, familiam penitus totamque tradimus. Omnes dies, quos bene & ex præceptis tuis agimus, fœliciter nos ad vitæ perducunt longinquitatem. Cuius igitur potius opibus vtamur, quam tuis? quæ & vitæ tranquillitatem nobis largiris, & ægritudinum mala aufers.

At Medicina quidem tantum abest, vt perinde, ac de hominum est vitâ merita, vbiique laudetur, vt à plerisque neglecta, à multis etiam vituperetur. Negligunt, qui omnia fato regi, & morbos & sanitatem fato dari statuunt, quibus nihil interest, cui salutem & vitam, docto medico, an agyrtæ committant. Sed vituperare quisquam vitæ parentem, & hoc parricidio se inquinare audet? & tam impie ingratus esse, vt eam accusat, quam vereri debet, & cui fortasse vel inscius vitam debet? Mihi certè sœpius subjicit mirari tantam nonnullorum

C animis

animis offusam caliginem , vt Medicinam velut humano generi inutilem, Medicosque, si Dijs placet, exterminandos ex hominum societate, aut ad Garanfantas & Indos relegandos esse contendant. Vt enim vanissimi de scientiarum vanitate scriptoris Cornelij Agrippæ vanitates omittamus : Ferdinandus Nonius Hispanus, & Michael Montanus Gallicus scriptor innumeris argumentis Medicinæ usum & necessitatem impugnarunt, quibus vernacula lingua iam diu respondimus. Quod autem à multis obijcitur, Medicinam sape à scopo aberrare , & non semper ægros sanitati restituere, concludere, idcirco artem nullam Medicinam esse, merito absurdum iudicatur Ciceroni. Neque successus semper à medico pendet. Λεῖ δὲ (ut vere Hippocrates) σὺ μόνον ἔαυτὸν πάπε χειν τὰ δὲ οὐτα ποιέοντα αἴλας καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τὰς παρέοντας καὶ τὰ ἐξωθεν. Offeret autem Medicum non modo seipsum exhibere promptum ad ea, quæ decent, facienda, sed & ægrum, & præsentes, & externa. Patrocinatur nobis aureo ore Chrysostomus, cum i. interpr. in Psalm. vi. considerandum esse scribit in Medicina quinque adesse debere, medicum, artem ægrotum, morbum, vim medicamentorum ; inter quæ , inquit, potest esse pugna, & conflictus , quo effectus impediatur. Nam si cum medico, arte, & medicamentis accedit etiam voluntas ægroti, morbus vincitur : si autem cum illis stare in acie desierit , ad infirmitatem seipsum reducit : interdum cum his pugnat.

pugnat natura imbecillis facta, & cum ars hæsita-  
verit, nec exitum invenerit, & vis medicamen-  
torum aliquo modo effugerit, quamvis cum mor-  
bo & medicamentis stet æger. Quod si etiam (adeo  
ex Hippocrate) probe quidem curet Medicus, morbi  
magnitudine superetur æger, hæc Medici culpa non est,  
nec etiam Medicinæ. Non enim ut idem alibi, ex-  
igenda ab arte, quæ non profitetur. Quorum enim fa-  
cultatem, tum per naturæ, tum per artium instrumen-  
ta consequimur, eorum nos opifices profiteri possumus, a-  
liorum non item. Si quid igitur homini con-igerit, quod  
Medicinæ instrumenta supereret, id ne sperandum quidem  
est ab arte Medica evinci posse. Quare si res Medico  
non succedit pro animi sententia, in morbi vehementiam  
remediorum vires superantem, non in artem ipsam culpa  
reijienda est. Vnde optimè abdicatus apud Luci-  
anum dicit, non rectè accusari artis imbecillita-  
tem, cum malum est insanabile. Et eleganter  
Ovid.

*Non est in Medico semper relevetur ut æger,  
Interdum doctâ plus valet arte malum.  
Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,  
Sanabit nulla vulnera cordis ope.*

Nam profectò , inquit Julius Scaliger, ne ipsa  
Natura quidem verus artifex videretur : quippe  
suo impedita fine nonnunquam aberrat, veluti  
cum aut monstra componit , aut defecta edit  
corpora. Desinant igitur calumniatores Me-  
dicos lacessere , quod non semper scopum con-

C 2 sequantur.

sequantur. Desinant gigantum more cum Deo pugnare , qui Medicos honorari præcepit : & quorum artem ab altissimo creatam, ac à sapiente non contemnendam in sacro legant codice. Imo vel à bestijs discant Medicinæ necessitatem, quas solo Naturæ instinctu sibi ipfis mederi observabunt. Omni siquidem animantium generi, ut ait Cicero, est à natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur. Et alibi scribit, omne animal seipsum diligere, & simul ac ortum est, id agere, ut se conservet, quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus à natura detur, se ut conservet, atque ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit. Quare idem alio loco notat, simul atque natum sit animal, ipsum sibi conciliari & commendari ad ea, quæ conservantia sunt sui status diligendæ , alienari autem ab interitu , ijsque rebus, quæ interitum videantur afferre. Hinc Testudines Origanum, Mustelæ Rutam mandunt, ubi aliquid de serpente comederunt. Sues Cancros fluviatiles petunt, quorum esu capitis dolori medentur. Felibus Calamintha remedio est, indeque à vernaculo e- arum nomine Cattaria vulgo apud nos dicta. Auditum est (inquit Cicero) Pantheras, quæ in Barbaria venenata, carne caperentur, remedium quoddam habere, quo cum essent usæ non morentur. Draco oculum obtuse videntem Fœniculo compunctum acuit ; ut Hirundo herba inde dicta

dicta Chelidonio, sive Hirundinaria. Vrfa cum  
primum ex antro suo prodit, Aro vescitur agresti;  
cujus acrimonia aperit intestinum suum concre-  
tum, Alioqui nausea cum tentatur, ad Formicarum  
cavernam se confert, linguamque suam pinguem,  
& dulci succo mollitam exerens eis preponit, dum  
hæc formicarum fiat plena: quibus deglutiatis juva-  
tur Cervæ paullo ante partum perpurgant se qua-  
dam herbula, quæ Seselis dicitur. Eadem in Cre-  
ta insula Dictamnum herbam monstravere extra-  
hendis sagittis, percussæ eo telo, pastuque eius her-  
bæ eiecto, testibus Plinio, & Servio. Quod ta-  
men Capris, & Capreis tribuunt Aristoteles, The-  
ophrastus, Cicero, Dioscorides, Valerius Maxi-  
mus, Plutarchus, nec non Virgilius xii. Aen. ubi  
plantam quoque describit:

*Hic Venus indigno nati concussa dolore,  
Dictamnum genitrix Cretæ carpit ab ida,  
Puberibus caulem folijs, & flore comantem  
Purpureo. non illa feris incognita capris  
Gramina, cum tergo volucres hesere sagittæ.*

Idem percussi à phalangio, quod est aramei genus,  
aut aliquo simili, Cancros edendo sibi medentur,  
ut ex Aristotele refert Plinius. Canes certa qua-  
dam herba (inquit Plutarchus, Gramen intellige)  
vellicantem bilem vomitu expurgant. At recen-  
tiores putant rationem vomitorii & purgantis  
pharmaci nos edocatos ab animali, quod Cœsari  
Vultur quadrupes appellatur; quia illus tantopere

se rapto expleat cadavere, ut inflatum, ac tympani modo extentum, ferre ulterius, quæ voravit, non possit; eoque subeat angustias rupium, vel alias, atque istic constrictum, & ore evomat, & postica parte emittat, quicquid oneri erat naturæ. Sed & volucris in Egypto, quæ Ibis appellatur, rostri aduncitate marina aqua per eam partem se perluens, qua reddi ciborum onera maxime salubre est, Clysterum usum luculenter monstravit. Quod animadvertisse (inquit Plutarchus) & imitati dicuntur Ægyptij, & sacerdotes eorum, cum se conspergendo lustrant, aqua ad hoc utuntur, è qua Ibis biberit: quod infectam, aut insalubrem nullam hæc aquam tangat avis. In eadem Ægypto Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magister extitit. Assidue nemque satietae obesus exit in litus, recentes arundinum casuras speculatus; atque ubi acutissimum videt stirpem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluvio sanguinis morbidum alias corpus exonerat, plagiisque limo obducit, ut præter Plinium hodier næ navigationes testantur; quod animal idem suo exemplo docet cum Hippocrate, pleniorē scilicet corporis habitudinem valde periculosam, ac propterea haud cunctanter solvendam esse, unde Venæ sectionis comprobatur necessitas. Sed & cibi abstinentia (quæ Medicis pro remedio esse etiam solet) curantur nonnulla animalia. Sic

Lipi,

Lupi, ac Leones cum fastidium carnium voracitate contraxerunt, aliquantum iacentes, & se caleficientes quiescunt. Quod de Tigri etiam refert Plutarchus, lib. de Solertia animalium, qui horum rationem reddit sub finem Questionum naturalium.

Hæc cum in Animantibus, quas nullius rationis participes agnoscimus, observentur, ideoneisti se mente & ratione donatos putant, ut S. Scripturæ decretis repugnant, & hominibus persuadere velint, Naturam, seu potius Deum, tot remedia frustra condidisse, aut hominem ad imaginem suam conditum, tot morborum tormentis, absque ullo solatio aut levamine tradidisse? Quintam vel maximo necessitatis argumento illud sit, quod hodie vix ulli reperiantur in quocunque mundi angulo, qui non medicarum rerum, mendique aliquam sibi peritiam arrogent. Quomodo enim alioqui omnes ad medendum adeò prompti essent, si non tacito naturæ impulsu propter usum necessitatemque cogerentur de hâc re omnes solliciti esse? Adde quod ab omnis ævi memoria coli, ornari, exerceri metuerit hæc disciplina ab hominibus tam animi, quam fortunæ bonis præcellentibus, principibus, regibus, imperatoribus, sapiendi magistris. Ac sapientiaz quidem professores, quos Philosophos postea appellare maluit Pythagoras, primi exercere Medicinam, primoque, ut scribit Celsus, me-

dendi scientia sapientiæ pars habebatur , ut & morborum curatio , & rerum naturæ contemplatio sub ijsdem auctoribus nata sit. Homerum quoque , quem omnis sapientiæ fontem predictant , Medicinæ studiosum fuisse author est Plutarchius : & alterum Poëtarum principem Virgilium omni studio indulsisse Medicinæ , in eius vita Donatus memoriæ tradidit. Inter reges , & heroas Medicinæ peritos accepimus Iasonem (Ιασονόν , à medendo appellatum ) Sisypnum Herculem , Achillem , Hermetem , Zorostrum , Chironem , Salomonem , Dionysium Siculum , Iosinam Scotum , & imperatores Adriani , Antoninos , Constantiniū IV. De Alexander Magno refert Plutarchus eum non tantum huius artis , autore Aristotele , studiosum fuisse , sed amicis quoque fecisse medicinam. Verum hos omnes superavit ille rex post Alexandrum maximus , uti Ciceroni laudatur , Mithridates , qui omnium ante se genitorum diligentissimus vitæ fuisse , argumentis , præterquam fama , intelligitur , ut de eo Plinius. Hunc tanta negotiorum moles , tot regnorum imperium , tot bellorum , quæ cum Romanis omnium hostium maxima gessit , sollicitudines , à Medicinæ studio avocare non potuerunt. Tanti herois res gestæ in historijs à paucis forte leguntur : at ob inventiōnem antidotorum , ex quibus unum etiam in

in hodiernum usque diem nomen & famam eius præfert, omnium mortalium ubivis terrarum ore celebratur. Hic primus Sanginem anatum Ponticarum (testibus Plinio, & Agellio) miscuit antidotis, quoniam veneno viverent. Idem Mithridation herbam inventit. Eandem nominis immortalitatem, quam regna dare non potuissent, regibus dedere Herbae, veluti Gentio Gentiana, Lysimacho Lysimachia, Artemisia Mansoli, Cariæ regis uxori Artemisia, Pharnaci Pharnaceon, Teucro Teucrion, aliæ alijs. Ut interim omittam Mercurium, Poeonem, Herculem, Chironem centaurum, Achillem. Aesculapium, à se inventis, & nominatis herbis notos. Quin & barbari reges Medicinam suis inventis excoluerent, ut rex Medorum Sabor, cui multas medicamentorum formas apud Mesuen acceptas ferre debemus, quibus hodie fœliciter utimur Qui & ipse Mesue, cuius libri in omnium manibus versantur, Abdela regis Damasci filius fuit. Arabum quoque rex Evax de simplicium effectibus ad Neronem scripsit. At universam Medicinam singulari operi (quod, nisi morte præventus fuisset πλυγλώθας Erpenius, multo haberemus correctius) tractavit Avicenna Cordubæ princeps. Ac veluti artem medicam florentissimis populis, Philosophis, viris princibus placuisse non ultima laus

Iaus est : ita certe major , etiam Dei angelis, qualis Tobiam docuit oculos patris curare selle piscis , remedio & hodie usitato , apud Ioannem Euang. angelus turbavit aquam , quam primus ingrediens à morbo liberabatur , ut omniam, S. Lucam euangelistam, apostolos & prophetas , aliosque viros sanctissimos Medicinam professos : sed maxima gloria est , æternum patris filium hanc solam elegisse divinam artem, ut sibi divinitatis esset testimonium. Potissimum enim viræ partem , quam degit in terris, impendit infirmis , & infestissimos humani generis hostes , manias, epilepsias, paralyses, cæcitates , dysenterias propulsavit. Et sunt , qui dulce nomen Iesu, in quo omne genu flectitur, Græcis à medendo , appellatum velint.

Neque vero id tantum Medicinæ est, summis ipsa honoribus affici ; sed alumnos suos ad summos honores & amplissimas dignitates evehere, non inanes illas sine penu & pecunia, ut ait Plautus, sed opimitate effertissimas. Quamvis vero ars sit divinior, quam ut hujusmodi rationibus æstimetur, ideoque Hippocrates ad Abderitas scribat, nunquam se pro eius usi mercedem accepisse, ut quæ sit libera , Dearumque munus , quomodo & Apostoli quod gratis acceperant, gratis dabant & Ausonius medicus filij consulis versibus dicat,

*Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ,*

*Officiumq; meum cum pietate fuit :*

non

non abhorret tamen prudens Medicus splendida  
deorum munera, quæ sumum de patrijs focis e-  
levant, &, ne lar familiaris frigeat, prohibent.  
Dignus est operarius mercede sua, ait os veritatis,  
cur igitur Medico pro tot curis, vigilijs, labori-  
bus non sit operæ pretium? Hoc autem ne mer-  
cenarius audiret, Honorem in epist. vocat Cicero,  
*Curio mihi, ut Medico honos haberetur*: quæ appellatio  
tum in alijs, tum in nostra quoque lingua  
obtinuit. Ut jam etiam exempla aliquot ex an-  
tiqua, & recentiori historia afferam: Polycetes  
cum Phalaridem, tyrannum Agrygentinum, mor-  
bo gravissimo laborantem, sanitati pristinæ resti-  
tuisset, ab eo phialas quatuor accepit ex puro  
auro, crateras argenteos duos: poculorum item  
thericiorum paria decem, puellas intactas viginti  
millia, nec non alia quam plurima, ut videre est  
in Phalaridis ad medicum epistola. Oribasius (Per-  
gamenus, Eunapio, vel Sardianus, Suidæ) Iu-  
lianum Cæsarem sequutus est in expeditionibus,  
eumque ad imperium evexit, à quo vicissim quæ-  
stor Constantinoli creatus est. Sequuti impe-  
ratores, virtutibus tanti viri invidentes, omnia  
ei bona eripuerunt, & exilio multarunt. Ori-  
basius in hostilem terram expositus, edidit virtu-  
tis eximiæ specimen, non locorum spatio defi-  
nitæ, non domicilijs circumscriptæ, sed quæ a  
animi constantiam, & firmitatem ostendit, quæ-  
que per se ipsam actuosa efficacitatem suam pro-  
dit,

dit, ubi tandem cunque extiterit; quemadmodum numeri solent, & artes Mathematicæ Statim namque apud Barbaros reges clarum consequutus nomen, inter primores habitus est, excitato etiam in Romani imperij finibus ingenti sui desiderio: Barbaris ut numen quoddam cum colentibus, dum hos longis morbis implicitos servat, illos à mortis vestibulo revocatos educit. Ita ut cum Themistocle exule, & luculentè à rege Persarum excepto, dicere poterat, Perrieram, nisi perijsem. Sed prior calamitas illi cum Iosepho, fortunatum, felicitatisque omnis ianuam, & occasionem aperuit. Nam imperatores repudiato consilio, quod prius, oppugnando viro, male intenderant, eam ab exilio revo- carunt, & pristinis opibus ac honoribus resti- tuerunt. Extat ejus elogium lib. 1. Anthologia:

Δίς Ορειβάσις, τὸν αἴγανάτην Δῆμος τέχνην  
Πολλάκι δειμαῖνθο, μήτες αἰρεβάλλετο μοίρη.

*Divi Oribasy, quem immortalem propter artem*

*Sapius rereritq; vitas hominum remittebat Parca*

Erasistratus Cous, Plinio maximus Medicus, & Aristotelis è filia nepos, is qui se ab experimentis ἐμπειρο, nominavit, à Ptolomæo ob Antigonus patrem sanatum, talentis centum donatus est: & alios, Principes Romani, teste Plinio, medicos celeberrimos, Cassios, Calpitano, Aruncios, Albutios, Rubrios, ccl. h. s. annua mercede conducebant. Q. Stertinius impu-  
tavit

tavit principibus, quod H. S. quingenis annis contentus esset. Sexcena enim sibi quæstu Vrbis numeratis domibus ostendebat. Par & fratri ejus merces à Claudio Cæsare infusa est : censusque quamvis exhausti operis, Neapoli exornata, hæredi , H. S. ccc. reliquere, quantum ad eam ætatem Aruntius solus. Manlius Cornutus ex prætorijs legatus Aquitanicæ provinciæ H. S. cc. elocavit in curanda mentagra. Crinas Mafiliensis , qui sub Nerone vixit , H. S. centies reliquit muris patriæ , mœnibus quoque alijs pœne non minori summa extructis. Hippocrates ingentibus muneribus à Persarum rege Artaxerxe , ut & Asclepiades à Mithridate Ponti rege fuit accercitus. Democedes Cratoniata,cum imperia imperiosi parentis ferre non possit Æginam præfugit, ibique tanta famæ celebritate Medicinam exercuit, ut Ægimetae eum talento retinuerint. Athenienses deinde centum minas obtulerunt. Tandem ad Polycratem Samiorum tyrannum se contulit , affectus honorario duorum talentorum. Ad invidiam fœlix, nisi fortuna , malignitatis suæ memor , eum infœlici Polycratis fato involvisset. Comprehensum enim Orætes , Darij regis profectus, cum reliquis captivis , in servitutem abduxit. Verum scientiæ fama non modo libertatem, sed etiam honores assequutus, insigni documento fuit, in opes animi nihil licere casuum humanorum varietati.

Cum

Cum enim rex inter venandum, ex equo desiliens, pedem luxasset, frustra tentantibus auxilium medicis, Democedem jam inter captivos agnitus, sed ne hostem Græciæ servaret, artem studiose occultantem, vi tormentorum ad sanandi curam adegerunt. Quod cum ex sententia successisset, eum Darius opibus auctum, & fortunis locupletatum in regia manere iussit, & mensæ suæ accumbere voluit. Id autem quanti fuerit, vel ex eo liceat aestimare, quod ipsi quoque regni proceres à conspectu regis arceantur, nec unquam nisi interposito velo mensæ regiæ assidere illis liceat. Ita ut Democedi honorificentius haberri non potuerit. Ob eandem scientiam, scribit Plinius, Cleombroto Leo Ptolomæus rex Megalensibus sacris donavit C. talentis servato Antiocho rege. Quod autem Galenus resert, se, cum Boëtij uxorem sanasset, quadringentis aureis donatum, minus mirum est, quam quod avorum memoria Thaddæus Florentinus, cum peregrè proficiseretur, singulis diebus quinquaginta aureos acceperit, & Honorio pontifice curato decem aureorum millia reportaverit. Totidem singulis mensibus, præter alia munera solvisse Ludovicum xi. Galliarum regem Iacobο Cocterio Medico suo, narrat Cominæus. Ex solis lue Venereâ affectis Carpensem inter alios & Capivaccium lucratos immane auri pondus cum legitimus, miramur Rabelesium scabiosos istos appellasse

appellasse pretiosissimos? Non ita pridem Philippus 11. rex Hisp. à febre septem dierum sanatus, archiatro suo Franc. Vallesio, præter annum stipendium,  $\sigma\omega\varsigma\varsigma\varsigma$  loco sex aureorum millia misit, quæ ille munera non sfernens, venustè non dubitare se, inquit, quin tantus rex plura etiam, si velit, elargiri posset, ut verum sit, quod vulgo dicitur, Dat Galenus opes, imo &, quas plerumque Iustinianus, honores. Recte Seneca, *Sicut Medicinae apud ægros usus, etiam apud sanos honor est:* Et profecto quis major honor esse potest, quam in deorum numerum referri. Sed omnis antiquitas apud Ægyptios, Græcos, aliasque gentes medendi peritia de humano genere bene meritos post obitum pro dijs coluit. Scribit Strabo, Medicos in India post brachnas maximo esse in honore, & ab omnibus liberaliter excipi: etiam ex publico vivere apud Ægyptios testatur Diodorus. Hippocrati ad sanandum Democritum Abderam vocato, universa civitas ob viam processit, eumque patriæ servatorem patremque salutavit. Ei quoque à S. P. Q. Atheniensib[us] liberatam peste Græciam ludi decreti & magnis mysterijs, non secus ac Hercules Iovis filius, initiatuſ, ac corona aurea donatus. Galenus apud Antoninos imperatores summo in honore fuit: quem post mortem pro deo cultum prodidit Eusebius. Romæ, tradente Suetonio, Julius Cæsar omnes Medicinam professos, quo luben-

Iubentius & ipsi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donavit. Id autem rarum fuisse scribit Tacitus, nec nisi virtuti pretium. Hinc multos celebres viros artem Medicam tunc temporis excoluisse, & exornasse author est Zonaras. Antonio Musæ, ob Augustum, ab ancipiti morbo curatum, Romani statuam ære collato, iuxta signum Æsculapij statuerunt, Suetonio, & Plinio testibus. En existimarent principes, esse è republica tales habere, quos ideo varijs privilegiis donarunt, ut testatur I. C. Tanta etiam Medicorum veneratio olim apud Locros, ut lege Zaleuci cautum fuerit, si quis ægrotans merum bibisset, nisi iubente Medico, etiamsi ad pristinam valetudinem rediisset, mortis supplicio afficeretur, ut refert Ælianis. Sed ne veteribus commemorandis diutius insistam, quanto Medici hodie in honore apud Anglos, Gallos, & Hispanos? quanto in matre studiorum Italia; ubi multos equestri dignitate ornatos vidimus, ubi octo ad Genuensis reip. principatum evectos fuisse annales testantur. Petrus Hispanus scriptis aliquot in Medicina clarus, ex Episcopo Tusculano Pontifex Maximus creatus est, assumpto Ioannis XXI nomine: ad idem fastigium è Medicina ascendit Nicolaus V. suminus renascentium in Italia literarum fautor & promotor: ut non necesse sit Ludovicum Patriarcham Aquilciensem, nec Ioh. Vincentium,

um, Montis regalis Archiepiscopum, hunc à Gregorio xv. illum ab Eugenio iv. in Cardinalium ordinem cooptatum, aut Paulum Iovium, medicum, & nobilissimum historiarum scriptorem episcopatu Nucerino, aut alios atque dignitatibus condecoratos afferre. Sed nec apud Barbaros Medicis suis honos deest: cum nuper Turcarum Imperator Bartholomæum Cordum medicum, suo nomine, ad Henricum magnum Galliarum regem legatum miserit: quod jam olim ad Cosroem Perſarum regem fecerat Imperator Iustinianus, teste Procopio. Sed quid peregrinis immoror? Nonne in hac patria Præturas, Consulatus, aliosque geri Magistratus à Medicis videmus? Inter Epistolas Caslandri legimus duas ad Cornelium à Baersdorp, Medicinæ Doctorem, Equitem auratum, & insignis urbis Brugensis Consulem. Et in hac ipsa civitate eos jam olim in Consulum & Senatorum ordinem receptos, ex archivis liquet: quod majorum institutum majoribus suis, viris consularibus, dignissimus, inter alia præclari Consulatus facta nuper renovavit vir illustris CORNELIUS de BEVEREN, Eques, Strevelshouckij, australis Iselmondae, De velsteinij toparcha, Senator & Quæstor australis Bataviæ, Academiarum Curator; egregius virtutis, & ingeniorum censor, & quamvis in maxima negotiorum mole, quibus in urbe, patria, nuper etiam

pro patria ad Britanniæ, & Daniæ reges, distractur, in omni disciplinarum genere insigniter eruditus. Nec est quod invidus quispiam, Ioliginis succo imbutus, nimia Medicis præmia nimios Medicis honores decerni, obtrectare co-  
netur. Dicam enim cum Seneca, quædam plu-  
ris esse, quam emuntur. Emis, inquit, à Me-  
dicis rem inæstimabilem, vitam ac valetudinem  
bonam. Itaque his non rei pretium, sed operæ  
solvit; quod deserviunt, quod à rebus suis a-  
vocati nobis vacant, mercedem non meriti, sed  
occupationis sive ferunt. Nullum siquidem præ-  
mium cum vita, nullus honor cum salute com-  
parandus. At ista sunt Medicorum munera,  
ipsis Deorum immortalium muneribus conferen-  
da; munera non omnibus passim obvia, sed  
quæ homines ingeniosi & industrii ab ipsis Diis  
comparare sibi solent.

Dij autem omnia, ut inquit ille, laboribus vendunt. Hisce vel maximè opus ad Medicinam, & ad ea præsidia, quibus Medicina carere nequit. Qui, inquit Hippocrates, Medicinæ scientiam sibi verè & aptè comparare volet, is horum omnium compos esse debet, ut naturam nactus sit, doctrinam, locum studijs aptum, institutionem à puero, industriam & tempus. His instructos esse oportet, qui ope-  
ram suam Medicinæ consecrant, quique se ad medendi gloriam erigere conantur. In primis  
vero

verò potens est natura: Pythagoras dicebat cibos in scaphio non esse ponendos: hoc est, in improbum animum doctos sermones non esse immittendos: nam sermo cogitationis cibus est, quem animus, ni probus sit, sordidum reddit. Adde quod naturā repugnante, reliqua parum possint. Hinc recte poëta:

*Tu nihil invita dices, faciesne Minerra.*

Doctrina autem in Medico requiritur non vulgaris. Primum Linguarum cognitio. Et de Latina quidem silere prestat, quam pauca dicere. Græcā absque maximā rerum ignoratione carere non potest: nam non solum artis principes Hippocrates & Galenus, hāc linguae suos ingenij & industriæ fœtus posteris reliquerunt; sed etiam plantarum, morborum, remediorum, instrumentorum, ponderum, mensurarum innumera vocabula Græca sunt: quę quum apud nos etiam recepta, circulatorum atque huius linguę imperitorum abusu detrita corruptaque non intelligantur, non raro fit, ut indocti Medici potionēs pro cataplasmatis, venena pro medicamentis, in ægrorum perniciem adhibeant. Arabicæ lingue ad Arabum Medicorum, qui Græcis non pauca addidere, ex puris potius fontibus, quam depravatis interpretationum rivulis haurienda, scientiam Medico admodum necessariam esse post Erpenium luculentiter ostendit ille linguarum omnium, Matheseos,

ac Medicinæ peritissimus **JACOBVS GOLI-**  
**VS**, cui hæ disciplinæ brevi plura debebunt. Quin  
& vulgares suæ ætatis linguis calere debet, ut  
divitarum gentium ægrotos, velut alter Mi-  
thidates, alloqui propria lingua, & intelligere  
possit. Peregrinatio ad eas acquirendas com-  
moda, nec non ad prudentiam, cuius non aliam  
caussam in Vlyssे uo affert Homerus, quam  
quod multorum hominum uibes & mores vi-  
disset. Est & peregrinatio ad herbarum cogni-  
tionem, cum non omnis ferat omnia tellus,  
Medico necessaria: ad morbos, qui regioni-  
bus nonnullis endemij & proprij. Sed ad pra-  
xin, vivam morborum cognitionem, & curati-  
onem oculis videndam, adeunda Italia, ut ex-  
perientissimorum Medicorum ductu potius me-  
deri discat, quam hominum periculis, & per  
mortes, ut ait Plinius, experimenta agat. Ne-  
que illa tot seculis Medicinæ studio florens, tot  
Regiorum Medicorum nutrix Monspelium præ-  
tereunda, non Lutetia tot illustrium Medico-  
rum sedes, non alia apta studijs loca, unde op-  
mis doctrinarum spolijs in patriam reversus, fibi  
& suis usui & ornamento esse possit. Qui vero  
viso Galliæ aut Angliæ fumo, unius literæ damno  
Medici titulum consequuntur, & domum re-  
duces nil nisi peregrinationes crepan, hos fu-  
mum mulierculis vendere, aut fulloniam disce-  
re iubemus. Neque multarum modo lingua-  
rum,

rum, sed & artium est hæc disciplina. Astrologia huic necessaria, ut Medicus cœlorum & syderum conversiones, & quæ inde fluunt, dominantque orbis inferioris moderatrices, nec non in morbis, præcipue epidemijs excitandis, mutandisque, vires obseruare, & ex locis ac temporibus curandi indicationes elicere possit. Talem ex Ægyptiorum nomen clatura, qui Astrologiam Medicinæ ubique copularunt, Ptolomeu *ιατρομαθηματικαὶ* appellat. Ex Mathematicis disciplinis etiam necessaria Arithmetica, quia sepe proportionibus utitur: item ad ineundam dierum criticorum rationem, horumque subducendum recte numerum. Geometria tum ad ossium positus, inquit Hippocrates, & articulos suis sedibus emotos, tum etiam ad reliquam morborum compositionem, nec non ad vulnerum differentiam, in quibus rotunda difficulter curantur. Rhetorica insuper, quo mœstos ægrotantes solari, timentes erigere, iratos placare, furentes coercere: ac flexanima illa dicendi facultate in suam sententiam pertrahere, & præscriptis morigeros reddere possit.

Hujus necessitatem extollit Gorgias apud Platonem. Sæpe, inquit, cum fratre meo, alijsque medicis, ad aliquem ægrotantium ingressus, cum ille vel pharmacum nollet bibere, vel secundum urendumque se medico non permitteret, neque persuaderi posset à Medico, ego persuasi non alia, quam Rheticæ facultate.

Quo

Quo, addit, magis assero, si quam urbem Rhetor accesserit, atque Medicus, certeturque inter eos verbis in concione, ne an Medicus; fore quidem ut Medicus quidem nusquam appareat: elegatur autem, si modo relit, dicendi peritus. Quare vult Plato IV. de Leg. prius docere Medicum, nec ante imperare, quam persuaserit. At hoc requirit apud eruditos non vulgariter eruditum. Exemplo sit Aristoteles, cui cum Medicus ægrotanti quiddam injungerit: Me, inquit, me cures vel ut bubulum, vel ut fossorem, sed prius caussam ediscere. Sic enim facili persuasione me morigerum reddideris, ut narrat, Aelian. 9. Var. Hoc vero ut decenter, & cum ratione fiat. Dialectica opus est. Nolumus tamen nec disputantem apud ægros, nec adstantibus objections moventibus anxie respondentem. Ad curandum enim vocatus est, non ad disputandum. Preclare sæpius jam laudatus Plato IX. de Leg. Illud ignorare non decet, quod si Medicus quispiam eorum, qui usu quodam absque ratione medentur, liberum Medicum philosophiaeque studiosum ægrotanti libero collaudentem audiat, dum morbi initia ratione indagat, & de natura corporum diligentius differit, ridebit protinus, & aduersus illum ea dicet, quæ hac in re plurimis Medicorum in promptu semper esse solent. Non mederis, inquiet, ô fatue ægrotanti; sed quasi doctrina indigeat, non sanitate, doces. At vel præcipue requiritur naturalis Philosophia, quæ Medicinæ princi-

principia de suo largitur, & tum admirabilem hominis fabricam, naturam, & corporis ex elementis compositionem explicat, tum animantium stirpiumque proprias vires inquirit. Quare recte dictum ab Aristotele : *Vbi definit physicus, ibi incipit medicus.* Moralis quoque sive Ethica Medico necessaria, quod, ut diximus, arcta sit corporis & animi societas, & affectiones suas mutuo transfundant. Quamvis autem Hippocrates, ut ex Celso retulimus, primus à philosophandi studio Medicinam se junxerit, alteram tamen alterius auxilio indigere tum ipse, qui Medicum Philosophum Deo similem facit, tum alij celebres Medici suo exemplo comprobarunt. Ideoque eleganter à Democede, & Tertulliano Philosophia Medicina soror appellata est. Qui tot linguarum cognitione excultus, tot artium & disciplinarum comitatu stipatus, nonne magnus vobis, & admirandus videtur? At ista tantum introducunt ad Medicinam, ab judicij & experientie difficultatem indefesso adhuc labore comparandam; ut verissimum sit Hippocratis oraculum, *Vita brevis, ars longa.* Huic ergo, qui omnes longe artis difficultates acris & subacti ingenij vigore superavit, qui vitam prorogare potest hominibus, nimia posse preemia, nimios honores tribui existimatis? An potius laudandos censemus prisci ævi mortales, qui Medicos quasi pro numinibus coluerent? Vitam & ani-

mam infundere Dei est immortalis. Vitam conservare, & iam fugientem animam sistere, nonne divinitati proximum censeri debet? Vnum pro multis exemplum afferam de Democrito, medendi peritissimo philosopho. Hic, quum jam ex senio deficeret, & morti propinquus esset, mōrem sororem, quod illo in Cereris festo moriente, ipsa Deæ vota exolvēre nequiret, bono animo esse iussit, panisque calidi, vel, ut alij volunt, mellis vapore naribus attracto, vivum se, dum Thesmophoria transirent, servavit. Ita quietissimè ac nullo dolore vitam, quam in gratiam sororis triduum retinuerat, ætatis anno centesimo & nono depositum. Talia quotidie præstare Medicos in moribundis conspicimus: iisq[ue] maiora, dum sterilitatem abigunt, & nasci homines faciunt, quos Natura, ne nascerentur, prohibuisse videbatur. Quinetiam Asclepiadem è funere hominem retrulisse, & conservasse, tradit Plinius. Quæ artium suis cum tam divinæ artis facultatibus conferre, quæ cum aliis Medicinæ prærogativis se comparere ausit?

Quamvis vero ea, ex comparatione cum aliis laudem querere non habeat opus, neque ex obtricatione alienæ scientiæ sibi gloriam & famam aucepari, non possum tamen omnia silentio transigere, quibus prœit alias multis parasangis. Cum tria sint, ut loquitur Plato, Anima, Corpus, Pecunia virtutem animi leges maxime anteponunt, secundo verò loco virtutem corporis virtuti animi ser-

vien-

vientem, tertio ultimoque gradu pecuniarum pre-  
tium collocant, animo corporique ministrant.  
Qui igitur animum, sive mentem sanam in sano  
tuentur corpore, nonne præferendi illis, qui in  
foro litigant, aut quibus virtus post nummos. Qui  
Iuris studio incumbunt, plerunque ad causas a-  
gendas animum applicant, aut certe, ut nunc sunt  
morosi sciolorum mores, inhiant dignitatibus: il-  
lud lentum fere negotium est, hoc non vulgare  
fautorum pondus requirit, ac si fallit, ut non ra-  
ro solet, oleum, & operam perdidisse poenitet. In  
Medicina vero non spes fallaces. non tarda studio-  
rum messis: sed præsens studij pretium. Hæc nulli  
obnoxia, à nullius odio, aut favore peridet, exilia,  
carceres, gladios, incendia, nec ipsam, quam omnes  
cane peius & angue odimus, egestatem metuit. Iu-  
ris Cæsarei consultis nullis in Britannia, & alijs  
regnis, quibus peculiares leges locus: Theologis  
nostris nec Romæ, nec Athenis. At vero per uni-  
versam orbem terrarum omnia secum fert, penes  
quem est medendi peritia, ubique gratis est Me-  
dicus, ubi sunt homines. Sola est Medicina (ut Quin-  
tiliani verbis concludam) qua o quis est omnibus. Nam  
licet reliquis artibus nec semper, nec omnes egeamus, huius  
utilitate constat omnis vita. Et, ut testatur Libanius,  
Medicina pro incolumitate retinenda, proque repellendis  
egritudinibus excogitata, usq; ideo præclara, utilis ne-  
cessaria est hominum vitæ, ut quin ceterarum quidem  
Artium studia alijs præcipue profint; Medicina ipsa, &  
alijs, & ipsi Medico usui sit.

FINIS.

IOHANNI BEVEROVICO,

*Reipublicæ Dordracenæ Scabino, & Medico,*

I. C R O C I V S.

S. P. D.

**D**Vplice nomine , & salutationem tuam caram, Vir doctissime , & ipsum te habeo, priore quod me ; altero quod est Focanum meum, velut pararium amicitię inter nos conciliandæ, sic ames. Quod utrumque ex salutatione tuâ cum dederim meritò grata accidit, & in utroque ut perseveres te rogo. Nam & ego certè affectum hunc jam in te refundo , quem tam benigne,tam candidè mihi offers, & ingratissimus mortalium sim, nisi faciam. Ita enim me tibi obstringis, ut nullam grati animi partem prætermittere posse videar, sine notâ hominis sordidi, atque inmemoris beneficij. Literas meas abs te vias & lectas, tantum pondus invenisse apud te , ut faventiam tuam demereri quiverint , & amorem , serio & ex animo gaudeo. Quanquam me hercule tanti non sunt , & cum in tales incidunt manus , vellem accuratiore limâ perpolitas : sed benevolæ tuæ æquitate hoc totum tributum eo , qui non doctos solum , sed & φιλομάθεις in album tuum adscribis, & amicitiâ tuâ dignoscens. Altum illum

Ium tuum animum, generosi amantem, & honesti quid ni amem, imo exosculer? Incalui certe ab hoc benivolentię tuę stimulo, ac ne parum officiosus viderer, non potui non respondere invitationi tuę tam humanę. Quę quantum apud me habeat momenti & auctoritatis, luculentius ostendam ubi se ad eam rem feret occasio. Et feret cum ad me eruditionis tuę latices se diffundent, & frui dabitur docto alloquio tuo literatum. Medicinam ut audio profiteris, & exerces in antiquissimā urbium, & primariā Hollandiā, & quod caput, exerces eam cum laude, & fructu. Laudem ponō in sublimiori nobilis illius disciplinę scientia, quam non recentiorum modò, sed & veterum lectione pertinaci, atque indefessa, es consecutus. Fructum in felici, & auspiciatā ægrorum curatione. Scientiam in hac facultate eminentem, quotiescumque arcanā illa Naturę, in homine, extra hominem, in toto hoc Vniverso, impensis apud me voluo, non possum non admirari, medicæque huius facultatis dignitatem, usum, necessitatem. Si quis enim secum reputet, quam diversa & multiplex humani corporis sit temperatura; quanta in homine ex ætate, sexu, loco, cœlo, educatione, studijs, usu, sit varietas: quam infinita in tot millibus plantarum discrimina: quot & quam contraria, ex contrarijs, & pugnantibus causis, morborum genera, febrium species oculorum Symptomata, quę centum, & amplius

amplius nominatim prodita , tenerimum hoc membrum infestant : Quanta homini à venenis pericula , quorum quot sunt species , tot sunt mortis genera , totidem remediorum differentias flagitantia : quot in corpusculo hoc nostro quod circumferimus , quotidiani casus , iisque improvisi , quot ingruentium malorum undique , in hunc amplum humanæ fragilitatis scopum , tela , quot ruinæ , adiunctiones , contusiones , luxationes , vulnera , quæ non conferto minus agmine , quam morbi , hominem deiiciunt , atterunt , frangunt : atque in his ipsis morbis , quam dubiæ sæpe , & fallaces eorum notæ , sive vultum intuearis ægri , sive oculos observes , verba motnm , excrementorum signa , pulsus harmoniam tantum undique se offert difficultatum , ut abdita illa rimari , & ardua ista ingenij acumine emetiri , memoriâ complecti , ac penetrato terræ , marisque sinu , excussisque undique , totius naturæ fibris , ex tot herbis , fruticibus , plantis , animantibus , gemmis , metallis , ex ipsis denique venenjs optima expiscari remedia , atque horum non usum modo , sed delectum , ex tot autorum scriptis , tot disciplinis , imo & ab ipsis astroïum influentijs petere , homine majus , ac planè divinum quiddam esse videatur . Multorum ea morborum vis est , ut certam homini mortem intentent , nisi periclanti , ac pœne clamato præsto sit Medicus , veluti gangrena , syncopis

syncopis profunda : lethargus, paralysis, angina, hydrops, apoplexia. Quibus omnibus qui medentur malis , qui mortem imminentem solertia sua propulsant, & vitam quasi ab Orco revocant, nonne ceu dij quidam in terris habendi sunt , quorum opera, magnus ille rerum arbiter *D E V S*, humano generi benigne prospectum esse voluit? Etenim si dare vitam, proprium *D e i* munus est, certe datam tueri, & jam oppressam ferè , aut fugientem retinere, Deo proximum fateamur oportet, & si in quoquam, certe in Medico locum habere, nobile illud Græcorum adagium, αὐθεωπῷος αὐθεωπίκη δαιμονιον. Neque enim corporis tantum, quæ vilior hominis pars est curam gerit , sed & animi, imo & animæ. Quæ quia in hoc corporis ergastulo labem s̄epe contrahit à situ, non alia certior atque efficacior, ejus curandæ est ratio , quam si corporis morbis tempestive occurratur : Qui ut animæ vigorem non raro aut impediunt, aut etiam extinguiunt ; ita ijs liberata , alisque fidei subiecta, ad cœlum tanquam ad originis suæ sedem, libero volatu contendit. Quilymphatum, phreneticum, furiosum restituit, nonne totum restituit hominem ? At cujus ope tanta cura ? nonne Medici ? Theologus efficit ut homines à vitijs resipiscant ; at Medicus, ut sit, qui possit resipi scere. Frustra enim ille Medicus sit animæ, si jam fugerit anima cui paratur medicina.

Fru-

Frustra Lethargico suadeat; si suadentem non audiatur. Frustra phreneticum moneat, nisi primum sit atrà bile à Medico liberatus. Summam Philosophiæ, in hoc verti cardine statuunt Plato & alij, si nempe rationi pareant affectus, qui quandiu renituntur, frustra tenet habenas animus, sed equum ferocientem in præcipitium sequi cogitur. At ut auscultent rationi, egregius ad hanc rem est adjutor Medicus, hoc agens ut ea pars hominis vigeat, sapiatque, cuius arbitrio, honesta ac magna geruntur. Quis enim æquè pertinax vitæ abstemia, & sobrietatis suaser? quis fidelior iræ moderandæ, tristitia fugiende, vitandæ crapulæ, temperandæ veneris auctor, quam Medicus? Accedit, quod quidquid in homine eximium est, artes, scientię, disciplinæ, quicquid in eo virtutis aut eruditionis, id omne nobili huic facultati, nos debere, quis non videt? quatenus id servat, sine quo ne reliqua quidem queant consistere. Quid enim hæc vita si perpetuis colluctetur morbis? Certè vivere dici non possunt qui mortuam vitam trahunt. Quam si salubrem reddat, aut tueatur Medicus, quid rationi magis aut æquitati consentaneum, quam eum vitæ tuæ parentem agnoscere, à quo vitam hoc est valetudinem acceperis? Sed longius me diffundo. Tu vir eximie quam naetus es Spartam, orna, quæ decus tibi, quæ gloriam, autoritatem, & opes est conciliatura. Cæterarum artium non ubique paratus

ratus est questus ; Rhetor apud Sarmatas friget ;  
 Iuris Cæfarei peritus, apud Br. tannos, subtilioris  
 Philosophiæ monita apud Tartaros, & Garaman-  
 tas, Aī Medicum quoquò terrarum abierit vel ad  
 ultimam Thulen, suus comitatur honos sua se-  
 quuntur vitæ commoda : uti nullam discipli-  
 nam verius quadret illud Poëtæ. Td πέχυιον  
 πᾶσαι γαῖα τείφαι. Coram, si detur aliquando  
 occasio , plura, & distinctius licebit. Nunc  
 valere te, & nos amare opto. Delphis vii. Iulij  
 M. D. C. XXXI.

I A C O B O C R V C I O,

Theologo, & Gymnasiarchæ Delphensi.

I O H. B E V E R O V I C I U S.

S. D.

**U**T nihil mihi gratius; V. C. tua amicitia:  
 Ita lubens vide eius indices, doctas & ele-  
 gantes literas. Ferreus sim, si non hoc ego pe-  
 catus vehementer amem, quod tam amanter ad  
 amicitiam invitat jam ante cupidum, & veluti  
 provocat, ut dicitur, ἵππον εἰς πεδίον. Laudas  
 studium, quod profitemur, & in iugo nostram in-  
 dustriam, cuius parum tibi constare auguror, nisi  
 forte hoc Mularum & Gratiarum corculum, Fo-  
 canus noster voluerit, ut secum amicè errares :  
 non

non iniucundum tamen fuit vel laudari à laudato viro , vel moneri ab amico. Inter alias Medicinæ laudes & hanc ponis, quod non corporis tantum, quæ vilior hominis pars est, curam gerat; sed & animi, imo & animæ.

Taῦτα μὲν, ὡς οὐκ πάντα, μάλ' αἰτησέως κατέλεξας.

Revera enim non tantum corporis nostri, quod artis subiectum potius, quam cum Tullio morbos ac vulnera, statuunt Medici, functiones adversa valetudine lœdi videmus, sed & nobilissimas animæ facultates corporis male affecti contagione impediri. Tanta siquidem animi & corporis societas, ut alter alteri & bona & mala sua communicet. Nam & animus à corporis perturbationibus afficitur, & corpus animi quoque affectionibus movetur, fluctuat, corrumpitur: quod eorum qui amoris cœco igni carpuntur & contabescunt. qui curis & invidia emacerantur, qui nimio gaudio animam efflarunt, nec non phreniticorum, melancholicorum, maniacorum & similiū, exempla abundè demonstrant. Nec in ægris modo iste consensus observatur : sed & in ebriis videmus, quanta morum atque cogitationum fiat mutatio, quoties a vini calore cerebri mutatur temperies. Quod eleganter notavit Horat.

*Quid non ebrietas designat? operta recludit,*

*Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem,*

*Sollicitis*

*Sollicitis animis onus eximit, addocet artes;*

*Fæcundi calices quem non fecere disertum?*

*Contractâ quem non in paupertate solutum?*

Iure igitur divinus Platon præcepit, ut vita humana in quâdam æquali animæ ipsius cum corpore proportione servetur. Quod cum præstet Medicina, tam ingenio quam corpori prospiciat, in fano corpore sanam tueatur mentem, eiusque perturbationes auferendo, animi sanitatem, ut vocatur Ciceroni, inducat: non mirum est, nullam gentem, ut scribis, hâc scientiâ carere velle, ac honorem suum ei ubique constare,

*A sole exidente usque ad Meotî paludes:*

magis mirum nostra ætate inveniri viros reliqua non ineruditos, οἱ τέχνης πεπόνισται, ut loquitur Hippocr. τὸ τὰς τέχνας αὐγχοντεῖν, qui turpiter in seclandis artibus artificium suum collocant, & Medicinam velut hominibus inutillem criminantur. In his nomen suum profiteatur Michael Montanus, celebris apud Gallos nominis, & magnæ, dum viveret, dignitatis: de quo scriptore diversa sunt doctorum judicia. Sunt qui ingenium eius, stylum, iudicium laudibus ad cœlum extollunt, quidam humiliter deprimunt, & inter sciolos istos referunt, qui vix ἀκρω τῷ δακτύλῳ φαύσαντες τῷ τῷ Μωσῶ, λέβητο, peritissimos se literarum arbitrantur, & inani eruditionis opinione tument. Equidem quamvis mihi tantum non arrogem, ut

de scriptis eius iudicium (quod ille in alijs sibi sumit liberrimum) ferre ausim: animadvertis tamen ijs inesse, quod de medicamentis Ægypti dicebat Homerus.

*Πολλὰ μὲν ἐσθλάμεμι γμένα πολλὰ δὲ λυγά,*  
*Pharmaca multa quidem bona mixta, & noxia*  
*multa :*

ita ut non mereatur ubique cum clarissimo Lipsio Gallicus dici Thales, aut septem Græciæ sapientibus annumerari. Certe quæ innato, ut non dissimulat, odio contra Medicinæ necessitatem conscripsit, omnia κίβδηλα esse καὶ τὰ πνηγεῖς κόμματα, demonstrare conabor. Et opeilæ hujus pretium mihi facturus videor, quod liber eius in omnium manibus versetur, si provideam ne Gallico hoc tumultu resp. Medicæ quid detrimenti capiat. Quare præcipua argumenta, quibus in Miscellaneis suis (Gallice *Les Essais* inscriptis, Gustus vertere conatur Lipsius, Conatum nomine laudant Thuanus & Sammarthanus) Medicinæ usum ac necessitatem impugnat, veluti ad incudem revocabo, & quam invalido tibicine nitantur ostendam.

Patrem suum refert vixisse annos duos & septuaginta, avum sexaginta & novem, proavum ætatem produxit ad annum circiter octuagesimum, cum nihil unquam medicaminis neque medicamentosi assumpsissent. Sed rara non sunt artis, neque contra artem nostram faciunt: non enim

enim mirandum in in numero hominum numero aliquot quandoque reperi, quos præter ceteros amavit æquis Iupiter, & eximiâ donavit corporis temperie, quam ipsi singulari temperantia diutissime in columem tueruntur absque ope Medicinæ. Nam, ut ait Servator, *Sanis non opus est Medico.* Verum & illi, qui temperate & naturæ convenienter, &c, ut sibi videtur, sine Medicina vitam degunt, inscij ea observant præcepta, quæ traduntur in ea Medicinæ parte, quæ agit de tuenda valetudine. Quod ipsum fere ijs responsum est ab Hippocrate, qui olim obijciebant, multos ægrotantes non adhibitis Medicis convalescere. Hoc fieri dicit, quod ipsi sponte ea fecissent; quæ prudens Medicus ex arte præstisset. *Quod, inquit, sanè magnum est artis existentis argumentum,* & quod inter præclara habenda sit, quando qui ne eam quidem esse existimant, eius ope servati conspiciuntur. Qui enim non adhibitis Medicis ex morbis convaluerunt, ut intelligare omnino necesse est, se quod aliquid vel fecerint, vel non fecerint, idcirco sanitatem esse consequi os, &c. Quod vero dubitat Montanus, an reperiantur qui ad istud exemplum longævi Medicorum ope utentes vixerint, frustra esse, quotidiana experientia documento esse potest. Addit, non quidem negare se potestates herbarum, quas & bestiæ comprobent, sed dissidere experientiæ, & inventis nostris; quasi vero ista tot jam seculis compre-

bata & corroborata non certam medendi normam reddiderint.

Ac calumnię sanè proximum est, Medicos trahere ægros, & sanitatem morari, ac in longum ducere, quò eos perpetuò sibi habeant obnoxios. Absit, absit à Medicis abominandum istud vitium, quale plerique Historiographi tribuunt Catharinę Mediceā, Galliarum reginā, & Ap. Claudius apud Livium seditionis tribunis, qui semper ægri aliquid esse in rep. volebant, ut esset ad cuius curationem à civibus adhiberentur. Vidi, & sectatus sum ad praxin non modo nostras, sed & celebriores Galliæ, Germaniæ, & Italiæ medicos: sed nunquam in ullo tale scelus potui deprehendere. Quærerit Tertullianus, *Quid de tali Medico iudicabis*, qui nutriat morbum mora præsidij, & periculum extendat dilatione remedij, quo pretiosius, & famosius curet? Respondeo verbis Senecæ, *Gravissima infamia est Medici, opus querere Medici*. Multi, quos auxerant morbos, & irritaverant, ut maiore gloria sanarent, non potuerunt discutere aut cum magna miserationi vexatione vicerunt. Addo, qui eo modo quæreret lucrum, damnum necessario factum: cum is, qui citius curat, à pluribus adhibeatur.

Nec minus falsum est, quod asserit, Medicos  
ex

ex integra, & incorrupta sanitate prognosticum capere ægritudinis corpori corruptendo. Non enim simpliciter dixit Hippocrates i. Aphor. iiii. eique ὁμόψηφος Plato ii. de Rep. αἰστὸν ἀκρον ἐνεξίας σφαλεράς, bonos corporis habitus ad summum progressos, periculum minari, Sed τῶν γυμνασικῶν, athletarum, qui ad vires, seu, ut Cicero in Antonio exprobans vocat, gladiatorem totius firmitatem comparandam, ultra modum se saginare solebant? quorum corpus ad summum plenitudinis gradum perdutum, cum neque consistere, neque in melius proficere posset, reliquum erat, quod dicit Hippocrates, ut laberetur in deterius. Et ita, quod inquit Euripedes à Plutarcho in hanc rem citatus, Οὐδὲ αἱρεῖται θύλλων σπερχεῖ, διοπτην̄ ὅπως αἰσηρὸς πέσθῃ. Modo qui rigebat carne, cælitus velut delapsa stella extinctus est. Sanitatis studium statuit Hippocrates, non impleri cibis, & impigrum esse ad labores. Αὐτοκητος υγείης, inquit, αὐτοεἴη τεοφῆς, αἰοχών πόνων. Athletæ verò, sic contra præceptum id agunt, ut plus iusto se in laboribus corporis retineant, cibisque impleant, & omnino quicquid senex ille præcepit, Bacchantium more insanientes contemnant, ille enim, cum salubrem vias rationem præcipere constituisset, sic scriptum reliquit: Πόνος, σῖτοι, πόνα, ὕπνοι,

αὐθιδίσιος, πάντα μέτεια. Labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia moderata. Iti verò & gymnasia quotidie sine modo fatigant, & cibis sic utuntur, ut eos vi sæpe ingerant, & ad medium noctem producant, ut Homeri illud iure in eos dicendum arbitretur Galenus,

Ἄλλοι μέν ἡρῷοί τε, ἄνερες ἵπποκόρυσαι,

Εὗδον παννύχιοι μαλακῶ δεδμήμενοι ὑπνῳ.

Ἄλλοι δὲ καθηγητὰς κακοδαιμόνος ὑπνῷ ἐμαρπτεν.

Noctem dī reliqui totam, milesque trahebat

Desessus, placido resoluti membra sapore.

Sed nullus miseras Athletas somnus habebat.

Hæc & plura Galenus περὶ επίκουρῶ λόγω τεῖχων, & concludit ex Hippocrate habitum Athleticum à vere sano plurimum differre. Quem cum de optimo & perfecte sano corporis habitu intelligeret Montanus, male citavit Medicorum prognosticon.

Neque me movet, quod glorietur se facile, cum sæpius ægrotatit, Medicis caruisse, cum videam alibi misere conqueri de asperrimis renum & coli doloribus.

At hoc palmarium esse existimat, quod nec ipsi Medici vitæ fœlicitate, aut diuturnitate, artis comprehendent potentiam, unde illud,

ἄλωνια τεῖχος αὐτὸς ἐλκεστροβεύων.

Alijs medetur, ipsius ulceribus scatet.

De huius farinæ Medicis dixisse videri possit, apud Ciceronem in Epistolis, Torquatus : Plerique quod

quod tenere atque servare id, quod statuerunt, non possunt, ricti & debilitati, obiectâ specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos, nec, quid preventurum sit provident, ob eamque causam, propter voluptatem tum in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrint. Eundem Tullium in aurea consolatione monet Ser. Sulpitius, ne imitetur malos Medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere Medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt. Verum enim verò à quorundam crimine, qui cum Medeâ Nasonis, meliora videntes & probantes, sequuntur deteriora, non discendi omnes, neque ex ejusmodi Medicis, qui saluberrima artis, quam profitentur, præcepta insuper habentes, vitiorum se illecebribus & cupiditatum lenocinijs dedidere, Medicinæ facultatem atque potentiam æstimare fas est. Nam & cum valent, & cum ægrotant recta consilia, quæ alijs dare solent, ipsi negligunt. Vnde Medicus quidam hoc sibi obijcienti facete respondit, *Audis me suadentem alijs, quæ arti Medicinæ placent; vides facientem, quæ Medico placent.* Nec minus festivum est, quod narrat Guevara lib. 1. Epist. Hispan. cum aliquando Medicum Sotto febre æstuantem, & merum nihilo minus bibentem interrogaret, cur sibi quondam febricitanti aquam endiviae præscripsisset, respondeisse, præceptorem Hippocratem, omnibus successoribus præcepisse, statuta in transgressio-

res anathematis pœnâ , ut se aquâ è fructu vitiis expressa , alios ex herbis destillatâ curarent. De his intelligendus Philemon ,

Τεκμήρεον δὲ τὸς ιατρὸς διδόει γώ

Τπέρ εγκριθείας τοῦτον στην εῦ ζωδει

Πάντας λαλεῖν τοὺς εἰτέσται πλαύσωσι π,

Αὐτὸς ποιεῖν τὰς πάνθες, οστὸν δὲ εἴων τὸ πετέρες.

Ipsē Medicorum mos apertè id arguit.

Hos prædicare plurimis verbis scio

AEgris, quibus medentur, abstinentiam:

Ipsos metat, si sua valetudo labet,

Audere facere, quæ retabant cæteris,

Turpe sane est doctori, cum ipsum culpa redarguit, sed hæc Medicorum tribuenda intemperantia, non artis impotentia. Et ut hos ἀλιγθίσ, & mature mori videmus, ita verè Medicos & ex arte viventes ac curantes, quamvis valetudinarios, fœlicissimè & diutissimè vivere. Galenus sit instar multorum, qui multis locis naturalem suam infirmitatem fatetur, quam probè adeò se correxisse scribit, ut vix unquam morbo fuerit conflictatus. Quibus modis, ut memoriarum ac literis proditum est, vitam in centesimum & quadragesimum annum prorogavit: quamvis Suidas eum septuagesimo ætatis anno mortuum asserat. Nonne igitur admirabilem artis potentiam abundè demonstrat, quod à Plutarcho scriptum quotidie comprobatur, multis naturâ debiles ac valetudinarios remedij, &

& bono regimine incorruptam servasse sanitatem, & ad decrepitam senectutem vitam produxisse, in ipso alias ætatis flore perituros? Philosophorum principis Plato & Aristoteles, id ipsum confirmant exemplo Herodici cuiusdam, qui cum præ cæteris istius ætatis esset valetudinis infirmæ, artis Medicæ præsidio, & accuratâ vivendi ratione in centum annos vitam protulit.

Neque verum est, quod asserit, nullam gentem esse, quæ non aliquot seculis Medicinâ caruerit: cum ab omni antiquitate, & à prima mortalium origine; quando, ut canit Hesiodus, inciperent.

*Νέσοι ανθρώποισιν ἐφ' ἡμέρη, ἡδ' ἐπὶ νυκτὶ.*  
*Αὐτομάτοι φοτῖν, quando macies, & nora febrium Terris incubuit cohors: apud Hebræos, Chaldæos, Assyrios, Ægyptios, Indos Medicina floruerit, reliquæ etiam nationes necessitate adactæ eam admiserint, licet non omnes adhibuerint Medicam artem professos. Quod autem P. Romanum ultra sexcentesimum annum sine Medicinâ degisse legamus, idque approbante Catone illo, cuius authoritati triumphus atque censura minimum conferunt, tanto in ipso plus est; uti laudat eum Plinius: ex eodem Plinio responsio haurienda, cum addit, sine Medicis quidem eos vixisse, non tamen sine Medicinâ, quod etiam ex Athenæo comprobatur: haud aliter atque hodie Turcæ,*  
*qui*

qui cum Medicis ferè careant, nonnullis tamen uti remedijs, ut & victus rationem adhibere solent. Romanos verò cum crudeliter acciperentur à Medicis Græcis, quos inter se jurasse refert Cato, apud Plinium, omnes Barbaros necare medicina, non mirum est, talia καθάρισμα, carnificum potius, quam Medicorum nomine digna, odio habuisse, & ne spe dubia salutis certam perniciem incurrerent, sedula cavisse. Postea tamen Medicos admisere, amplissimisque affecere honoribus, ut apud Plinium videre est. Iulium Cæsarem omnes Romæ degentes civitate donasse, narrat Suetonius, & Plutarchus, Philotas Amphissensis medicus, ab Antyllo, M. Antonij triumviri F. mensa argenteis poculis grandibus onusta donatus fuit, ut refert Plutarchus. Et Alexandrum Sæverum imp. Medicis salario instituisse legimus apud Lampridium. Quinetiam Antonio Musæ ob curatum Augustum statua posita, alijque honores decreti.

Hunc Musam primum fuisse Medicum, qui Romanam è Græcia venerit, cum Romani quadrincentos & tres annos, atque decem menses absque ijs degissent, scriptum est ab Ant. Guevara, epistola ad Melgarem medicum. Sed hæc insignis est diserti viri ανισοπεδία, cum Augustus à Musa sanitati restitutus sit anno ab urbe condita septingentesimo trigesimo primo, & Plinius testetur lib. xxxix. cap. i. Cassium Heminam

ex antiquis authorem esse primum è Medicis venuisse Romanam Peloponneso Archagatum, (qui jus Quiritium obtinuit) L. Aemilio, & M. Livio Coss. anno V. C. quingentesimo trigesimo quinto. Neque mirum ferocem Romanorum gentem, & Marti prius, quam Minervæ addictiorem, serius Medicinam accepisse, cum id ipsum de alijs etiam disciplinis conqueratur Cicerone 1. Tusc. & de ipsa Philosophia, quam iacuisse ad suam scribit ætatem, nec ullum habuisse lumen literarum Latinarum, Grammatica (scribit Suetonius de illustr. Grammaticis) olim Romæ ne in usu quidem, nedium in honore ullo erat, rudi scilicet, ac bellicosa etiam tum civitate, nec dum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Idem libro de clar. rhet. id de Rhetorica testatur, quam etiam Romæ olim exerceri prohibitam ex edictis demonstrat. Paullatim tamen (inquit) & ipsa utilis, honestaq; apparuit, multique eam præsidij causa, & glorie appetiverunt. Idem de Medicina liceat dicere. Quid ergo? damnatam à Catone rem utilissimam credimus? Minime hercle: subiicit enim in epist. apud Plin. qua medicina se & coniugem ad longam senectam perduxerit. Quemadmodum igitur ob abusum rei usus tollendus non est, & nemo Lycurgum vites extirpantem, quod nimia vini ingurgitatio inebriaret, laudandum censet: ita nec artem quampiam profitentium vitia & imposturæ derogare debent artis dignitati. Sed discernen-

scernendus Medicus celer atque fidelis , & ap-  
primè doctus , qui cum Homero dici mereat-  
tur πολλῶν αὐταξίος , ac sere ισόθεος cum Hip-  
pocrate, ab isto, quem idem dixit histrioni simi-  
lēm, Medici personam agere. Hic , qui unicā  
sepè literā plus est quam medicus ( ut cum Plauto  
alludam ) cum neque natare, neque literas no-  
verit, multa tamen, ut imperitæ plebi & muliercu-  
lis præcipiè glaucoma ob oculos obijciat , incon-  
dita blaterare, & Thrasorum more gloriari solet,  
quibus vulgo nonnunquam imponit ;

----- οἱ γάρ σοφοῖς  
Φαῦλοι, πάγῳ ὄχλῳ μυστικῷ περοι λέγειν. namque  
Apud eruditos qui nihil valent, apud  
Plebeii imperitam, præminent facundiâ.

Sæpius vero iste loquentia sua alijs molestus  
est, & ægro morbum auget, ut de loquaci Me-  
dico optimè dixerit Comicus,

ιατρὸς ἀδόλεγχος νοσῆν πάλιν νόσος.

Medicus loquax secundus ægro morbus est.

Sed hæc personis imputentur. Quibus etiam  
satisfactum Montano volumus , cum scribit ex  
Plinio , nullam artem Medicina inconstantio-  
rem suisse. Nam ille, quos adducit, dum expe-  
rimenta per mortes agerent, eam sæpius præ in-  
scitiâ mutarunt. Inter eos fucus ille Thessalus,  
qui, de patris textrina prodiens, longam hanc  
artem se sex mensium spatio edoceturum pro-  
mittebat, testante & ridente Galeno. Inter eos  
quoque

quoque Themison, cuius, mala senectutis enumerans, meminit Iuvenalis,

*Quot Themison agros autumno occiderit uno.  
Neque mirum, nam liberalitate Romanorum  
ille&ti Græculi docti indoctique passim , nullo  
artium præsidio instructi. Medicinam illotis ma-  
nibus arripiebant, & ut plurimos in sui admira-  
tionem pellicerent (quod fructuosiorem reddebat  
artem) quisque nova & inaudita veteribus com-  
minisci cœpit. Hinc illæ lacrymæ , & statim  
tres Medicorum sectæ, de quibus Ausonius,*

*----- triplex quoque forma medendi,*

*Quæ logos, & methodos, cuiq; experientia nomen  
Istorum vanitates peculiari libello abunde Ga-  
lenus refutavit. At qui Medicinam inconsan-  
tia accusant , non Næyium, aut Plautum, ut  
ait ille , sed ne Theologiam commemorem ,  
Artes omnes, in quibus non idem omnes sen-  
tiunt, ipsamque Philosophiam accusant , quam  
à Socrate acceptam in varias sententias sectasque  
distraxere discipuli. Hippocrates, ut scribit Ma-  
crobius, tam fallere,quam falli nescivit. Sed ille,  
rarissima avis in terris, etiam suo tempore con-  
questus est Medicos fama quidem multos , opere  
vero perpaucos esse. Grammaticus, inquit Am-  
mian. Marcellinus , locutus est interdum barbarè,  
& absurdè cecinit musicus , & ignoravit remedium  
medicus : at non idem grammatica,nec musica,nec medi-  
cina contemnenda est. Vnde præclarè Tullius, signa  
ostenduntur*

ostenduntur, ait, ab his rerum: in his si quis erraverit, non Deorum natura, sed hominum conjectura peccavit.

Porro à veritate alienum est, quod putat Montanus, omnibus Medicorum præscriptis nil aliud effici, quam ut venter expurgetur: neque minus ridiculè dubitat, an non Natura certo more modoque excrementis istis, velut fœce vinum, opus habeat, ac proinde inutiliter evacuentur. Quanto melius vel Imp. Claudius? qui, tantum abest, ut crassiores cibi reliquias in alvo diutius stagnare sanum censeret, meditatus scribitur à Suetonio edictum, quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emitendi, cum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset. Fortasse bonus vir disciplinam Stoicorum sequitus fuit, qui, teste Cicerone, crepitus aiebant & que liberos, atque ructus esse oportere. Sed & sua adhuc confirmantem audiamus Montanum. Nam & sanos, inquit, aliquando videre est subito in vomitum, vel alvi fluorem incidere, nulla prius cogente necessitate, aut subsequente commodo, immò quandoque detimento. Vis caussam Montane, dabit Hipp. qui in Aphor. In perturbationibus alvi, inquit, & vomitionibus, quæ sponte sunt si qualia oportet purgari purgentur, confert, & facile ferunt: sin minus, contra fit. Exempla non afferam ex Medicis, qui tibi suspecti, sed ex Tullio unum pro multis, epistola ad uxorem, χολὴν ἀκρατοῦ,

noctu

*noctu eieci, statim ita sum levatus, ut mihi Deus aliquis medicinam fecisse videatur.* Athoc artis, & artificum est, ea modò purgare, quæ purgari debent, & hoc ægris confert, & bene fenmt. Ac quamvis à Platone, quem citat Montanus, & à Plutarcho similia afferantur, censem tamen Medicis iure optimo excrements, quæ tum copia, tum qualitate naturæ molesta & adversa sunt, non esse retinenda, sed protinus excernenda, sanguinemque ab impuritatibus vindicandum. Si enim, quod & vulgus novit, exterum aliquod membrum, quoties correptum gangræna aut sphacelo corruptitur,

*Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur;* cui quæso verisimile fieri possit naturam vitiosis & excrementitijs fœcibus conservari, aut illas, ne malum serpat, non esse expurgandas? Neque omnia medicamenta, ut vult, aliquam partem noxiā obtinent: ac quod nonnullis inest, arte corrigitur, vel aufertur. Et quemadmodum nemo non linteal sapone, aut nitro (nam hac similitudine utitur Plutarchus) detergere malit, quam ut sordibus imbuta consumantur: ita etiam corpora ægra & vitiosis humoribus repleta, alijsque impuritatibus inquinata purgare præstat medicamento non adeò forte benigno, cum duro nodo durus debeatur cuneus, quam permittere ut corpus hoc corporum omnium nobilissimum, inter nos vitius consumptum, stultiæ nostræ pœnas luat.

Sed

Sed tandem, inquies, manum de tabula. Credo  
siquidem te non minus iamdudum legendo, quam  
me scribendo lassatum. Et hæc sufficere possunt  
epistolæ præcipue cum singulis Montani argu-  
mentis de verbo ad verbum vernaculo sermone,  
ut & illo scripsit, publice responderim. Inter-  
rim eum cum calculi doloribus plorare, & te Me-  
dicinæ faventem, ne unquam ea egeas, voveo,  
atque gaudere jubeo. Dordrechti xi. Kal. Aug.  
CICERO CXXXI.

F I N I S.

# ENCOMIA MEDICINÆ;

Def. ERASMI ROTERODAMI,  
HIERONTMI CARDANI,  
PHILIPPI MELANCHTHONIS.



ROTTERODAMI  
Sumptibus ARNOLDI LEERS.  
CIO CXLIV.

ERAS. ROTERO. D. HENRICO  
*Afinio Lyrano, insigni Medico. S. D.*

**N**uper dum Bibliothecam recenseo doctissi-  
me Afini, venit in manus oratio quædam  
olim mihi nihil non experienti, in laudem artis  
Medicæ declamata, continuo visum est orationem  
non optimam optimo dicare medico, ut vel tui  
nominis lenocinio studiosorum centurijs com-  
mendetur. Erit hoc interim mei in te animi qua-  
leculque documentum, dum dabitur aliud, nostra  
necessitudine dignius, Bene Vale. Louanij. III.  
Idus Mart. Anno M. D. XVIII.

**D E S . E R A S M J**

**R O T E R O D A M I .**

**DECLAMATIO IN LAVDEM  
ARTIS MEDICÆ.**

 V O s̄epius est ars medicinæ, meditatis & elaboratis orationibus hoc ex loco, apud plerosque vestrum prædicata, idque à viris singulari facundia præditis, auditores celeberrimi, hoc mihi sane minus est fiducia, me vel tantæ rei, vel aurium vestrarum expectationi sati facturum. Neque enim rem prope divinam, nostra facile assequetur infantia, neque vulgaris oratio de re toties audita, tedium possit effugere. Verum tamen ne salutari maiorum instituto videar deesse, qui solemni encomio iuventutis animos ad huius præclaræ scientiæ studium, admiracionem, amorem, excitandos, accendendos, infiammandosque censuerunt, experiar & ipse pro mea virili (Siquidem me dicente adiutabit vestra tum attentio, tum humanitas, favore candido prosecuentes, quem ad hoc muneris vestra adegit autoritas) medicæ facultatis dignitatem, autorita-

84 D E S . E R A S M I R O T E R O D A M I ,  
tem, usum necessitatem, non dicam explicare,  
quod prorsus infiniti fuerit negotij, sed summa-  
tim modo perstringere, ac veluti confertissimas  
locupletissimæ cujuspiam reginæ opes, per tran-  
sennam ut aiunt, studiosorum exhibere conspe-  
ctibus. Cuius quidem ea vel præcipua laus est.  
Primum quod nullis omnino præconijs indiget,  
ipsa abunde per se vel utilitate, vel necessitate  
commendata mortalibus. Deinde quod toties  
jam à tam præclaris ingenijis prædicata, semper  
tamen novam laudum suarum materiam, ingenijis  
etiam parum fœcundis ex sese suppeditat, ut ni-  
hil necesse sit eam vulgato more invidiosis illis  
contentionibus, non sine ceterarum disciplinarum  
contumelia deprædicare. Quid illud magis me-  
tuendum, ne domesticas illius dotes, ne german-  
nam ac nativam amplitudinem, ne maiestatem  
humana conditione maiorem, mortalis oratio  
non assequatur. Tantum abest, ut vel aliena con-  
tumelia, vel ascititijs Rhetorij fucis, aut ampli-  
ficationum præstigijs sit attollenda. Mediocrum  
est formarum, deformiorum comparatione aut  
cultus lenocinijs commendari. Res per se vere-  
que præclaras, satis est vel nudas oculis ostendisse.  
Iam primum enim (ut ad rem festinemus) reli-  
quæ artes, quoniam nulla non magnam aliquam  
vitæ commoditatem attulit, summo quidem in  
pretio fuere. Verum medicinæ quondam tam  
dulcis experientia, ut eius authores, aut plane pro-  
dijs

dijis habití sint , velut Apollo , & hujus filius  
Æsculapius ( quod ait Plinius ) singula quosdam  
inve - ta deorum numero addiderunt , aut certe  
divinis honoribus digni sint existimati , velut Æ-  
sclepiades , quem Illyrici numinis instar receptum ,  
Herculi in honoribus æquarunt . Non quidem  
probo quod fecit antiquitas , affectum sane ac ju-  
dicium laudo , quippe quæ recte & senserit & de-  
claravit , docto fidoque medico nullum satis di-  
gnum præmium persolvi posse . Etenim si quis  
secum reputet , quam multiplex in corporibus hu-  
manis diversitas , quanta ex ætatibus , sexu , re-  
gionibus , cœlo , educatione , studijs , usu , varie-  
tas , quæ infinita in tot millibus herbarum ( ne quid  
interim dicam de cæteris remedijis ) quæ alibi aliæ  
nascuntur discrimina . Tum quot sint morborum  
genera , quæ trecenta nominatim fuisse prodita  
scribit Plinius , exceptis generum partibus , qua-  
rum omnium quam nullus sit numerus , facile per-  
pendet , qui tantum norit quot formas in se febris  
vocabulum compleqtatur , ut ex uno cætera csti-  
mentur , exceptis his , qui quotidie novi accrescunt ,  
neque secus accrescunt , quam si de composito cum  
arte nostra bellum suscepisse videantur . Exceptis  
venenorum plus mille periculis , quorum quot  
species sunt , tot sunt mortis genera , todidem re-  
mediorum differentias flagitantia . Exceptis casi-  
bus quotidianis , lapsuum , ruinarum , ruptionum  
adustionum , luxationum , vulnerum , atque his

86 Def. ERASMI ROTERODAMI,  
consilium quæ prope cum ipso morborum ag-  
mine ex æquo cestant. Denique qui cogitet,  
quanta sit in corporum cœlestium observatione  
difficultas, quæ nisi cognoris, sæpen numero ve-  
nenum erit, quod in remedium datur. Ne quid  
interim commemorem, sæpe fallaces morborum  
notas, sive coloris habitum spectes, sive lotij si-  
gna rimeris, sive pulsus harmoniam observes, ve-  
lut hoc agentibus malis, ut hostem medicum fal-  
lant, & imponant. Tantum undique sese effun-  
dit difficultatum, ut mihi difficile sit omnes vel  
oratione prosequi. Sed ut dicere cœperam, has  
omnes rerum varietates studio persequi, obscuri-  
tates ingenio assequi, difficultates industria per-  
vincere, ac penetratis terræ fibris, excussis undi-  
que totius naturæ arcanis, ex omnibus herbis,  
fruticibus, arboribus, animantibus, gemmis, ex  
ipsis denique venenis, cunctis humanæ vitæ malis,  
efficacia querere remedia, atque horum oppor-  
tunum usum, ex tot autoribus, tot disciplinis, imo  
& ab ipsis sideribus petere. Hec, inquam, tam  
abdita rimari cura, tam ardua viribus animi adipisci,  
tam multa memoria complecti, tam neces-  
saria ad salutem universi mortalium generis in  
commune proferre, nonne prorsus homine maius  
ac plane divinum quiddam fuisse videtur; Absit  
invidia verbis. Liceat id quod vero verius est in-  
genue prædicare. Non me iacto sed artem ipsam  
efferro. Etenim si dare ritam proprium dei munus est,  
certe

certe datam tueri, iamque fugientem retinere, deo proximum fateamur oportet. Quanquam ne prius quidem illud, quod nos soli deo proprium esse volvamus, medicorum arti detraxit antiquitas, ut credula ita gratissima. Nam Aesculapij quidem ope Tyndaridam & post eum complures ab Orco in lucem redisse credidit. Aesclepiades hominem exanimatum, elatum, comploratumque ab rogo domum vivum reduxisse legitur. Xanthus historicus catulum Leonis occisum, præterea & hominem quem Draco occiderat, vitæ redditum fuisse posteris prodidit, herba quam halin nominat. Ad hæc Iuba in Africa quendam herba revocatum ad vitam restis est. Neque vero laboraverim, si sint apud quos hæc fide careant. Certe (quod agimus) admirationem artis, tanto magis implent, quanto magis supra fidem veri sunt, & immensum esse fateri cogunt, id quod vero supersit. Quanquam quantum ad eum attinet; qui vitæ redditur, quid refert, utrum anima denuo in artus relictos divinitus reponatur, an penitus in corpore sepulta, morbique victoris oppressa viribus arte curaque medici suscitetur atque eliciatur, iamque certo migratura retineatur? An non penne paria sunt, mortuum restituere, & mox moriturum servare? Atqui permultos nominatim recenset Plinius libro historiæ mundanæ septimo, qui iam elati partim in ipso rogo, partim post dies complusculos revixerint. Miraculum est, quod

88 *Def. ERASMI ROTERODAMI,*  
paucis dedit casus. Et non magis mirandum, quod  
quotidie multis largitur ars nostra? Etiam si hanc  
deo Opt. Max. debemus, cui nihil non debemus  
ne quis haec à me putet arroganti⁹ dicta quām ve-  
rius. Coni plurium morborum ea vis est, ut certa  
mors sint, nisi præsens adsit medicus, velutistupor  
is, qui mulieribus potissimum solet accidere, ueluti  
syncopis profunda, paralysis, apoplexia. Neque  
delunt ulti vel seculo, vel genti sua in hanc rem  
exempla. Hic qui mortem ingruentem arte sua  
depellit, qui vitam subito oppressam revocat  
nonne ceu numen quoddam dextrum ac propi-  
tium semper habendus est? Quot censes homi-  
nes ante diem sepultos fuisse priusquam medicorum  
solertia, morborum vires, & remediorum na-  
turæ deprehenderat? Quot hodie mortalium  
millia vivunt, valentque, qui ne nati quidem es-  
sent, nisi eadem haec ars, & tot nascendi discri-  
minibus remedia, & obstetricandi rationem re-  
perisset? Adeo statim in ipso vita limine, & na-  
scens, salutarem medicorum opem, miserabili vo-  
ce implorat. Horum arti vitam debet, & qui non-  
dum vitam accepit, dum per eam prohibentur ab-  
ortus, dum mulieri seminis recipiendi, retinen-  
dique vis confertur, dum pariendi facultas datur.  
Quod si vere dictum est illud, Deus est juvare  
mortalem, profecto mea sententia aut nusquam  
locum habebit illud nobile græcorum adagium  
ἀνθεπτον ἀνθεπτον δαιμόνον, aut in medico fido

pro-

proboque locum habebit, qui non iuvat modo, verum etiam servat. An non igitur ingratitudine ipsa videatur ingratiior, ac ipsa propè vita indignus qui medicinam alteram secundum deum vitæ parentem, tutricem, servatricem, vindicem, non amet, non honoret, non suspiciat, non veneretur? Cuius presidijs nunquā ulli non est opus. Nam reliquis quidem artibus, nec semper, nec omnes egemus. Hujus utilitate mortalium omnium vita constat. Nam fac abesse morbos, fac omnibus prosperam adesse valetudinem, tamen hanc qui poterimus tueri, nisi medic⁹ ciborum salutarium ac noxiōrum discrimen, nisi totius victus, quam graci dietam vocant, rationem doceat. Grave mortalibus est onus senecta, quam non magis licet effugere quam mortē ipsam. Atque ea medicorū opera multis contingit, tum seri⁹, tum multo etiam levior. Neque enim fabula est quinta, quam vocant essentia, senio depulso hominem velut abiecto exuvio reiuvencere, cum extent aliquot huius rei testes. Neque vero corporis tantum quæ vilior hominis pars est, curam gerit, immo totius hominis curam agit, etiamsi Theologus ab animo, medicus à corpore sumat initium. Si quidem propter arctissimam amborum inter se cognationem & copulam, ut animi vitia redundant in corpus, ita vicissim corporis morbi animæ vigorem aut impediunt, aut etiam extinguiunt. Quis æque pertinax suasor abstinentiæ, sobrietatis,

modo-

90 Def. ERASMI ROTERODAMI,  
moderandæ iræ, fugiendæ tristitiae, vitandæ cra-  
pulæ, amoris abijciendi, temperandæ veneris, at-  
que medicus? Quis efficacius suadet ægroto, ut  
si vivere velit, & salutarem experiri medici opem,  
prius animum à vitiorum colluvie repurget? I-  
dem quoties vel diete tica ratione, vel ope phar-  
maceutica bilem atram minuit, labantes cordis vi-  
res reficit, cerebri spiritus fulcit, mentis organa  
purgat, ingenium emendat, memoriae domici-  
lium sarcit, totumque animi habitum commutat  
in melius, nonne per exteriorem ut vocant ho-  
minem, & interiorem servat. Qui Phreneticum  
Lethargicum, maniacum, syderatum, lymphati-  
cum restituit, nonne totum restituit hominem?  
Theologus efficit ut homines à vitijs resipiscant,  
at medicus efficit ut sit qui possit resipiscere. Fru-  
stra ille medicus fit animæ, si iam fugerit anima,  
cui paratur antidotus. Cum impium hominem  
subito corripit paralysis, apoplexia, aut alia quæ-  
dam præsentanea pestis, quæ vitam prius adimat,  
quam vacet de castiganda cogitare vita, hunc qui  
restituit, alioquin infeliciter in suis sceleribus se-  
peliendum, nonne quodammodo tum corpus,  
tum animum ab inferis revocat? In eum certe  
locum reponit hominem, ut ei in manu jam sit,  
si velit æternam mortem fugere. Quid suadebit  
iethargico Theologus, qui suadentem non au-  
diat? Quid movebit phreneticum, nisi medicus  
prius atram bilem repurgarit? Pietas ceteræque  
virtutes,

virtutes, quibus christiana constat felicitas, ab animo potissimum pendent, haud inficior. Carterum quoniam is corpori illigatus, corpore is organis velit nolit utitur, sit ut bona pars bonæ mentis à corporis habitu pendeat. Per multos homines infelix corporis temperatura, quam græci modo *χρᾶσιν*, modo *σύσημα* vocant, velut invitox ac reclamantes, ad peccandum pertrahit, dum animus in seffor frustra moderatur habens, frustra subdit calcaria, sed equum ferocientem, in præcipitum sequi cogit. Animus videt, animus audit, sed si oculos occuparit glaucoma, si aurium meatus crassus humor obsederit, frustra vim suam habet animus. Odit animus, irascitur animus, aut vitiosus humor mentis organa obsidens in caussa est, ut oderis, quem amore dignum iudices, irascaris cui nolis irasci. Philosophia summa in hoc sitam esse fatetur Plato. Si rationi pareant affect<sup>o</sup>, atq; ad eam rem præcipiuus est adjutor medicus, hoc agens, ut ea pars hominis vigeat sapiatq; cuius arbitrio geruntur, quæcunq; cum laude geruntur. Si hominis vocabulo censemur indigni qui pecudum ritu rapiuntur cupiditatibus, huius nominis dignitatem bona ex parte debemus medicis. Id cum maximum sit in singulis ac privatis, quanto præclarius est beneficium, cum id prestatur in principe? Nulla fortuna magis est obnoxia malis hujusmodi, quam felicissimorum regum. Quos autem rerum tumultus ciet unius homunculi vitia-

92 Def. ERASMI ROTERODAMI,  
tum cerebrum? Frustra reclament qui sunt à consi-  
lijs, furis o princeps, ad te redi, ni medicus ar-  
te sua, neque volenti, neque sentienti suam men-  
tem reddiderit. Si Caligulae fidus adfuisse med-  
icus non usque ad pugionum ac venenorū scri-  
nia in perniciem humani generis insanisset. At-  
que ob eam sane causam publica consuetudine re-  
ceptum est apud omnis orbis nationes, ne prin-  
ceps usquam gentium agat absque medicis. Pro-  
inde cordati principes, nulli unquam arti plus  
honoris habuerunt, quam medicinæ. Quan-  
doquidem Erasistratus (ut reliquos raseam) Ari-  
stotelis ex filia nepos, ob Antiochum regem sana-  
tum centum talentis donatus est à Ptolomæo hu-  
jus filio. Quin & divinæ literæ iubent medico  
suum haberi honorem, non tantum ob utilitatem  
verum etiam ob necessitatem, ut in cæteros bene-  
meritos ingratitudo sit, in medicum impietas,  
quippe qui tanquam beneficij divini adiutor, id  
arte sua tuetur, quod optimum nobis & charissi-  
mum largitus est deus, videlicet vitam. Parenti-  
bus nihil non debemus, quod per hos vitæ mu-  
nus accepisse quodammodo videmur. Plus mea  
sententia debetur medico, cui toties debemus,  
quod per hos vitæ munus accepisse quodammodo  
videmur. Plus mea sententia debetur medico, cui  
toties debemus. Pietatem debemus his, qui ho-  
stem à cervicib' depulit, & medico non magis de-  
bemus, qui pro nobis servandis cum tot capitalibus  
vitæ hostibus quotidie depugnat? Reges ceu deos  
suspiciuntur

suspicimus quia vita, necisq; ius habere creduntur, qui tamen ut possint occidere, certe vitâ non aliter dare possunt, nisi quatenus non eripiunt, quemadmodum seruare dicuntur latrones, si quem non iugulent, nec aliam tamen vitam dare possunt, quam corporis. At quanto propius ad divinâ benignitatem accedit medici beneficiū. Hominem iam inferis destinatum, arte, ingenio, cura, fideq; sua, vekut ex ipsis mortis fauibus retrahentis? Alijs in rebus profuisse sit officium, cæterum in certo corporis animiq; periculo servasse plusquam pietas est. Adde his quod quicquid in homine magnum est, eruditio, virtus, naturæ dotes, aut si quid aliud, id omne medicorum arti acceptum feramus oportet, quatenus id servat, sine quo ne reliqua quidē queant subsistere. Si omnia propter hominem, & hominem ipsum servat medicus, nimirum omnium nomine gratia debetur medico. Si non vivit, qui vivit morbis obnoxius, & vitam salubrem aut reddit, aut tueritur medicus, an non convenit hunc ceu itę parentem agnoscere? Si res exoptanda est immortalitas, hanc medicorum industria, quoad licet meditatur, quæ vitam in longum prorogat. Quid enim hic notissima referam exempla, Pythagoram, Chrysippum, Platonem, Catonem Censorium, Antonium Castorem, cumque his innumerabiles, quorum pleriq; medicinæ observatione, vitam ab omni morbo liberam, neque fatigante ingenij vigore, neque concussa memoriæ soliditate, neq;ie fractis aut labefactis sensibus, ultra centesimum annum prorogarunt. An non istuc

94 Def. ERASMI ROTERODAMI,  
istuc est immortalitatis quam speramus , hic iam  
nunc imaginem quandam exhibere ? Christus  
ipse immortalitatis autor ac vindex vnicus , cor-  
pus assumpsit , mortale quidem illud, sed tamen  
nullis morbis obnoxium. Crucem non horruit,  
morbos horruit. An non plucherrimum fuerit,  
nos principem nostrum in hoc quoque pro viribus  
imitari ? Apostolos quorum neme ferè non mul-  
tam vixit ætatem, cælos legimus imperfectos legi-  
mus ægrotasse non legimus. Quocunque pacto  
hoc illis contigit , certe prestat idem ars medico-  
rum , quod illis præsttit sua felicitas. Nec enim  
audiendos arbitror, qui nobis non minus indocte,  
que impudenter solent illud obijcere. Virtus in  
infirmitate perficitur somniantes Paulum gravi  
capitis dolori fuisse obnoxium, cum ille infirmita-  
tem vel animi tentationem, vel quod vero propi-  
us est, improborum hominum molestam insectati-  
onem appellat. Atque idem ille Paulus, inter a-  
postolicas dotes donum curationis recensuit. Iam  
auget & illud non leui argumento medicinæ glo-  
riam quod & Cæsarearum legum maiestas , &  
pontificiorum autoritas sese ultro medicorum iu-  
dicio submittit, velut in quæstionibus pubertatum,  
partuum ac beneficiorum. Item in quæstionibus  
aliquot matrimonium facientibus. O nova dig-  
nitas medicinæ. Agitur de capite hominis & iu-  
dicis sententia pendet ex medici præiudicio. Sum-  
mi pontificis pietas, si quid indulget in nonnullis  
non

non aliter indulget nisi medicorum accedat calculus. Atque in decretis Romanus pontifex, episcopum eum qui delatus fuerat tanquam fœdo immanique morbo obnoxius, ex medicæ rei iudicio censet aut amouendum episcopatu , aut suo loco restituendum. *Durus autem Augustinus ex medicorum consilio fieri iubet quidque faciendum est, etiam si nolit ægrotus.* Idem honorem medico debitum, hoc est artis & industriae præmium , recte eripi scribit ab eo qui detinet, velut ab iniusto possessore , & quod alienum est mala fide occupante. *Quin ij quoque qui conceptis præcaminibus , dæmones impios è corporibus humanis exigunt, non raro in consilium adhibent, velut in his morbis , qui secretis rationibus , quædam sensuum organa spiritusque vitiant , & adeo dæmoniacani speciem imitantur, ut nisi à peritisimis medicis discerni non quæant, sive sunt crassiores aliqui dæmones, ut fertur illorum varia natura qui medicam etiam opem, sentiant, sive morbus adeo penitus intimis animi recessibus insidet, ut a corpore videatur alienus.* In cuius rei fidem dum ex innumeris mihi compertum exemplum refero, quæso ut me patenter audiatis. Panaceum celeberrimi nominis medicum adolescens colui , is me teste quendam restituit nomine Phlyarium , patria Spoletanum, qui ex vermibus in novum maniaæ genus incidet, ita ut in morbo probe teutonice loqueretur, quod(uti constabat) sanus nunquam potuerat. *Quis impe-*

96 *Def. ERASMI ROTERODAMI.*  
imperitus rei medicę, non hunc demoniacum vel  
dei erasset etiam? At is hominem faciliter paratoc;  
remedio menti reddidit. Redditus sibi teutoni-  
ce nec loquebatur, nec intelligebat. Quod si quis  
hunc vere dęmoniacum fuisse contendat, ea sanè  
res vel maxime medicorum illustrat artem, cui  
compertum est, & dęmones impios parere, quem-  
admodum in restituenda vita, ita & in exigendis  
spiritibus divinę virtutis tum ministre, tum amu-  
le. Neque vero deerant, qui factum hoc magicis  
attibus tribuebant, quorum ego calumniam, arti  
nostrę glorię laudique verto, per quam ea præ-  
stantur, quę vulgus hominum humanis viribus  
præstari posse non credit. Optimo igitur jure,  
priscis seculis, cum nondum sordidi quæstus &  
spurcæ voluptates vitiassent omnia, medendi ars  
inter omnes una, divinis ac summatibus viris, o-  
pulentissimis regibus, clarissimis senatoribus præ-  
cipue cordi fuit, nec alia mortalium generi gra-  
tior. Siquidem Moses ille magnus, non alia ra-  
tione, quā artis medicę cibos suos distinxisse cre-  
ditur. Orpheus Græcorum vetustissimus, de vi-  
ribus herbarum nonnulla prodidisse legitur, Homerus ipse, citra controversiam, unicus ingeniorum  
fons, plurimus est, & in herbarum comme-  
moratione, & in laude medicorum: Is., & Moly,  
nobis depinxit, herbarum omnium teste Plinio,  
laudatissimam, efficacem adversus beneficia. Cuius  
inventionem Mercurio tribui, hac Vlyssem suum  
adversus

adversus Circes pocula præmuniens. Idem nepentes indicat in convivijs adhibendum, quod mætorem tristitiamque discutiat. Porro Machaonem, Pæonem, Chironem, Podalirium, ut hac arte præstantes, sæpicule non sine honore commemo-  
rat, quorum arte non solum heroibus, verum ipsis etiam dijs subventum esse fingit. Illud videlicet subindicans, summis etiam principibus medico-  
rum præsidijs opus esse. Atque horum vitam me-  
dicis in manu esse, qui in cæteros omneis ius vita  
ac necis habere videntur. Quid quod idem poeta,  
libro Iliados undecimo hujus artis professionem  
longe pulcherrimo nobilitavit elogio ? cum ait.  
Vnum medicum pluris habendum, quam cæte-  
rorum hominum permultos. Rursus alibi, me-  
dicum ita notat, ut dicat eum eruditum in omni-  
bus, palam testans id quod res est, hanc artem non  
una aut altera disciplina, sed omnium artium co-  
gnitione circuloque, tum præter exactum inge-  
nium, multo etiam rerum usu constare. Pytha-  
goras ille Samius, cui divinitatem quandam tri-  
buebat antiquitas, de naturis herbarum nobile vo-  
lumen reliquisse legitur. Atque ut Platonem, A-  
ristotelem, Theophrastum, Chrysippum, Ca-  
tonem Censorium, Varonem præteream, qui-  
bus studio fuit, hanc artem suis vel studijs, vel ne-  
gocijs admiscere. Mithridatem Ponti regem, non  
perinde regnum, aliqui locupletissimum, non  
tam unius & viginti linguarum miraculum, quam

G

rei

98 Def. ERASMI ROTERODAMI,  
rei medicæ peritia nobilitavit, vereque magnum  
virum declaravit, qui artis huius commentatio-  
nes, & exemplaria, effectusque in arcanis reli-  
quit, ut autor est Plinius. Cuius & hodie, no-  
bile Theriacæ genus nomine celebratur. Nunc  
sere regium habetur, aleam ludere, venari, nu-  
gas agere. At olim populi Romani principibus,  
nihil magis erat curæ, quam ut ex longinquo no-  
vis importandis herbis, rem medicam adjuvarent,  
neque populo illi tum orbis domino non aliud e-  
rat munus gratius. Quid quod Christus ipse disci-  
plinarum omnium & autor & princeps sese non  
Iureconsultum, non Rhetorem, non Philosophum  
sed medicum professus est, dum de se loquens, ne-  
gat opus esse medico ijs qui bene habeant, dum Sa-  
maritanus vulneribus oleum ac vinum infundit,  
dum sputum terræ mixtum illinit oculis cæci.  
Quid quod idem, hac potissimum commendati-  
one, cum adhuc orbi esset ignotus, sese paulatim  
in animos atque affectus hominum insinuavit ?  
Non auro, non imperijs, sed morborum remo-  
dijs. Quod ille nutu fecit, nempe deus, hoc me-  
dicus pro virili sua, cura imitatur. Neque deest  
his quoque divina vis nimirum medendi viribus,  
in huic usum rebus à deo inditis. Nec alio viati-  
co magis instruxit Apostolos, mandans, ut hoc  
protinus officio sibi devincirent, hospitem, me-  
dentes, inquit, morbis illorum, & ungentes o-  
leo. Paulus ille magnus dum Timotheo suo mo-  
dicum

dicum vini præscribit usum, ad fulciendam stomachi imbecillitatem, nonne palam medici partibus utitur? Sed quid hoc mirum in Apostolo, cum Raphael angelus, Thobie cæcitati medicans, hinc nomen etiam invenerit, apud arcanarum rerum studiosos? O cœlestem, vere quo sacram disciplinam, cuius cognomento divinæ illæ mentes insigniuntur. Inter mortales alij alias artes vel discunt, vel profitentur, hanc unam oportebat ab omnibus disci, quæ nulli non est necessaria. Sed o heu perversissima hominum iudicia, Nemo necire sustinet, quis nummus legitimus sit, quis adulterinus, ne quid fallatur in re vilissima, nec scire studio est, quibus modis id quod habet, optimum tueatur. In numismate non credit alienis oculis, in negocio vite ac sanitatis clausis quod dicitur oculis, sequitur alienum iudicium. Quod si totius artis absoluta cognitio, non potest nisi paucis contingere, quam totam ut tam huic uni studio dedicarunt, certe partem eam, quæ ad tuendam valitudinem pertinet, non conveniebat quenquam nescire. Etiamsi bona pars difficultatis, non ab ipsa arte, sed ab improborum medicorum vel inscita, vel ambitione proficiscatur. Semper apud efferas etiam ac barbaras nationes sanctum ac venerabile fuit amicitiæ nomen. Atque is egregius habetur amicus, qui se fortunæ utriusque comitem sociumque præbebat, quod vulgus amicorum velut hirundines æstate, rebus secundis adsint, rebus

100 Def. ERASMI ROTERODAMI,  
adversis, quemadmodū illę ingruente bruma devo-  
lant. At quanto syncerior amic⁹ medic⁹, qui Seleu-  
cidum avium exemplo, quas narrant nusquam à Casij  
montis incolis conspici, nisi cum illarum præsidio  
est opus adversus vim locustarū fruges vastantium  
rebus integris ac lætis nusquam sese ingerit, in pe-  
riculis, in his casibus, in quibus uxor ac liberi saepe  
deserunt hominem, velut in phrenesi, phthiriasi, in  
peste solus medic⁹ constanter adest, & adest non in  
utili officio quemadmodum pleriq; cæterorum, sed  
adest opitulatur⁹, adest pro capite periclitantis cum  
morbo dimicans, nonnunquam suo quoq; periculo.  
Et ô plusquam ingratos, qui talis amici officio ser-  
vati, iam depulso periculo medicū odiſſe possunt,  
ac non potius parentis vice colunt ac venerantur.  
Vulgarē amicū, qui subinde salutat obvium, ad cœ-  
nam rogan̄t qui latus claudit officio pensant, & ta-  
lē amicū ubi desierint egere aversantur? & ob hoc  
ipsum aversantur, quod intelligant illius officio  
nullam meritis parē gratiam rependi posse. Quod  
si is optimus vir est qui maxime prodest reipub. ars  
hæc optimo cuique viro discenda est. Iam vero si  
qui sint, qui rerum pretia malint utilitate quæstu-  
que metiri (licet hæc ars divinior est, quam ut  
huiusmodi rationibus sit aſtimanda) ne hac qui-  
dem parte cuiquam aliarum cedit artium. Neque  
enim illa magis fuit frugifera, & ad rem subito  
parandam eque presentanea. Erasistratus cuius an-  
te memini, à rege Ptolomeo, Critobulus ab A-  
lexandro Magno, præmijs ingentibus ac vix cre-  
dendis

dendis donati leguntur. Quanquam quod tandem  
præmium non exiguum videatur, repensum ser-  
vatori capitis pro cuius unius salute tot hominum  
milia depugnabant? Quid ego nunc commemo-  
rem Cassios, Carpitanos, Arumcios, Albutios, qui-  
bus Romæ tum apud principem, tum apud popu-  
lum immodicum quæstum fuisse refert Plinius.  
Quanquam quid nos hæc ex priscis æstatib⁹ repeti-  
m⁹, quasi non hodie cuique complures succurrant,  
quos hæc ars ad Crœsi opes evexerit? Rhetorica,  
aut poëtica non alit nisi insignem. Musicus ni præ  
cellat, esurit. Iure consulto tenuis proventus est, ni  
sit eximi⁹. Sola medicina quomodo docunq; doctum  
alit, ac tuetur, Innumeris disciplinis, infinita rerum  
cognitione constat res medica & tamen frequen-  
ter unum aut alterum remedium alit idiotam, Tan-  
tum abest, ut hæc ars sterilitatis damnari possit. Ad-  
de quod cæterarum artium non ubique paratus est  
quæstus. Rhetor frigebit apud Sarmatas. Iuris cæsa-  
rei perit⁹ apud Britannos. Medicum quoquo ter-  
rarum sese contulerit, suus comitatur honos, suum  
sequitur viaticum, ut in nullam disciplinam verius  
competat vulgatissimum illud græcorum prover-  
biuni, τὸ τέχνιον ή πασα γῆ τείφει. Sed hoc ipsum  
indignatur Plinius, aut certe apud hunc alij,  
quæstum esse medicinæ professionem. Ma-  
jor est, fateor hæc facultas, quam ut quæstui lucro-  
que serviat. Sordidarum id est artum, Sed nimis in-  
gratum est, eam solam sua fraudare gratia, cui nulla

par gratia rependitur. Egregius medicus ceu numen quoddam servat gratis, servat & invitatos. Sed impietas est, non agnoscere numinis beneficium. Nihil ille moratur mercedem, tu tamen dignus qui legibus mulcteris ob insignem ingratitudinem. Iam haud quaquam me fugit, hanc egregiam artem & olim apud veteres audisse male, & hodie apud indoctos quosdam male audire. Catoni non placuit, non quod rem damnaret, sed quod ambitious græcorum professionem non ferret homo mere Romanus. Isque tantum tribuit experientæ, ut artem esse noluerit, sed idem universam græcorum philosophiam ex urbe pellen-dam censuit. Existimabat homo durus, ad purgandum hominis corpus sufficere brassicam & crebros vomitus, & tamen ille ipse medicorum hostis, observatione medicinæ, in extremam usque senectutem robur infractum tutatus scribitur. Solis, inquiunt medicis summa occidendi impunitas est. At hoc nomine magis suspiciendi boni medici, quibus cum in manu sit, non solum impune, verum etiam mercede occidere, tamen servare malunt. Quod possunt facultatis est, quod nolunt probitatis. Decantatur jam passim inter pocula temulentorum adagium. Qui medice vivit, misere vivit. Quasi vero felicitas sit, distendi crapula, rumpi venere, turgescere cervisia, sepeliri somno. Sed istos Sycophantas quid opus est oratione refellere, cum ipsi petulantiae suæ

sux satis magnas pœnas dant arti, mox podagra contorti, paralyſi stupidi, desipientes ante tempus, cæcutientes ante senectutem, iamque prius vituperatæ medicinæ, exemplo Stesichori, seram canunt palinodiam miseri. Et tamen his licet indignissimis, artis bonitas non gravatur esse præsidio quantum licet. Sunt qui mutuato ex veteri comœdia scommate, vocent medicos ~~εκατοφάπτων~~. Quasi vero non isto nomine, vel præcipue laudari mereantur, qui quo subveniant hominum calamitatibus, ex illa sua sublimitate fese ad hæc fôrdida deijciant. Quod si medicis tantum esset supercilij, quantum istis est procacitatis, liceret paſſim impune mori. Verum habet hoc ars nostra cum bonis regibus commune, ut bene faciat, ac male audiat. Quod si maxime sunt, ut sunt in hoc ordine, qui se pro medicis gerunt, cum nihil minus sunt quam medici. Si sunt, qui pro remedij venena ministrant, si sunt, qui ob quatsum aut ambitionem ægrotis male consulunt, quid iniquius est, quam hominum vitia in artis calumniam detorquere? Sunt & inter sacer dores adulteri, inter monachos homicidæ ac piratæ, sed quid hoc ad religionem per se optimam. Nulla tam sancta professio est, quæ non alat sceleratos aliquot. Votis quidem omnibus optandum, omnes principes eiusmodi esse cuiusmodi decet esse, qui censeantur hoc digni-

104 Def. ERASMI ROTERODAMI,  
nomine. Nec tamen ideo damnandus est prin-  
cipatus, quod nonnulli sub eo titulo prædones,  
reique publicæ hostes agant. Optarim & ipse  
medicos omnes vere medicos esse, nec in his  
locum græcorum proverbio πόλοι βουκέντης,  
παῦροι Δέπε γῆς αἴροτηρες. Optarim ab omnibus  
eam præstari sanctimoniam, quam Hippocrates  
sacramento verbis solemnibus concepto à profes-  
soribus exigit. Neque tamen huc non enitendum  
est nobis, si à plerisque negligi conspicimus.  
Sed quoniam huius argumenti tanta est ubertas,  
uiri præstantissimi, ut difficillimum sit in eo di-  
cendi finem invenire, ne non præstem, quod  
initio sum pollicitus, tempestivum arbitror, u-  
niversas eius laudes summatim complecti. Ete-  
niam si per multas res sola commendat antiqui-  
tas, hanc artem primam omnium repperit ne-  
cessitas. Si scientiam authores illustrant, huius  
inventio semper dijs attributa est. Si quod auto-  
ritatis addit honos, non alia tam passim ac tam  
diu divinos honores meruit. Si magni fiunt,  
quæ summis viris probantur, hæc summos re-  
ges, hæc primates, non solum delectavit, verum  
etiam illustravit. Si difficultia quæ sunt ea sunt  
& pulchra, nihil hac operosius, quæ tot disci-  
plinis, tantarum rerum pervestigatione usque  
constat. Si dignitate rem æstimamus, quid excel-  
lentius, quam ad dei benignitatem proxime ac-  
cedere? Si facultate, quid potentius, aut effi-  
cacious,

carius, quam totum hominem certo exitio peritum sibi posse restituere? Si necessitate, quid eque necessarium atque id sine quo nec vivere, nec nasci licet? Si virtute, quid honestius? quam servare genus humanum? Si utilitate, nullius usus neque maior est, neque latius patet. Si compendio, aut hæc in primis frugifera sit oportet, aut ingratissimi mortales. Vobis igitur magnopere gratulor eximij viri, quibus contigit in hoc pulcherrimo genere professionis excellere. Vos adhortor optimi iuvenes, hanc toto pectore complectimini, in hanc nervis omnibus incumbite, quæ vobis decus, gloriam, autoritatem, opes est conciliatura, per quam vos vicissim amicis, patriæ, atque adeo mortalium generi, non mediocrem utilitatem estis allaturi.

D I X I,

HIERONYMI CARDANI  
*Mediolanensis, medici,*  
**MEDICINÆ  
 ENCOMIVM.**

**N**emo, ut opinor, facilius artem aliquam laudarit, quam qui in argumentum inciderit per se abundans, splendidum atque illustre : nemo melius, quam qui quod laudare proposuit, bene novit : nemo verius quam qui tractaverit exercueritque : ob hæc omnia, artem medicam & facile & bene ac vere laudare me posse spero. Quod si modo neque eloquentia neque facundia illa polleam, quæ tanto operi sit necessaria, nec colores illos ac fucos, qui à rhetoribus addi solent, adiijciam : meminerint quæ legent, tanto formosiorem futuram orationem nostram his ornatis apparatu, quanto naturalis pulchritudo commentitia atque fucata præstantior est. Etenim cum oratio per se clara & splendida futura sit ob artis excellentiam.

Ornari

*Ornari res ipsa negat contenta doceri.*

Nam seu ad Deos artis origo referatur, autores fuisse existimantur pater & filius, Apollo scilicet & Aesculapius, si Ovidio credimus dicenti :

*Inventum medicina meum est, opifexque per orbem.*

*Dicor, & berbarum subiecta potentia nobis.*

Seu ad quoscunque alios prima est inter omnes, & cum ipso humanitatis ortu initium cœpit : nam nihil antiquius esse potuit ea caussa, propter quam inventa est, scilicet morbis incommodisque mortalium : non nitar rationibus ut ostendam quam antiquus fuerit Aesculapius? quam vetus prosapia Hippocratis? nam metuo ne potius fabulosa esse illa dicatis, quam de vetustate dubitetis. Itaque his omissis, quæ minus necessaria sunt negocio nostro, quam dubia, ad ea quæ illius præstantiam ostendunt, quanquam mortalibus optanda sit, transeamus. Ea vero in triplici genere collocanda videntur, scilicet utilitatis, pulchritudinis atque nobilitatis. Utilitatis duplex mihi genus esse videtur : tum humano generi, tum ipsis qui eam exercent, maximum afferat emolumentum. Ipsi quidem mortalibus tantum certe affert, ut neque re ipsa, neque exemplo ulla alia ars possit ei comparari. Quid enim maius homini contingere potest quam mortientes ad vitam revocare? quod fecisse cum plurimos

rimos medicos constet, etiam mortuos suscitasse quosdam prædicant. Æsculapium enim & Hyppolitum & Tyndaridem à mortuis ad vitam, tum Æsclepiadem clarum medicum quendam à rogo revocasse referunt. Quinetiam alios maius quid morte passos, ut demonio malo obsecros, resolutos, hydroscopicos, carcinomate laborantes, suspiciosos, calculosos, tabescentes, luxatos, leprosos, cæcos, surdos, oblivious, claudos, syderatos sanasse melius est, & ipsa quotidiana experientia frequens. Dij quidem hac in parte sola tyrannis, potentiores sunt, quod cum tyranni solum obesse possint, dij ipsis etiam prodere queant. Quamobrem & partem illam qua ipsis præstant, etiam divinorem esse atque illis propriam consentaneum est. Quid cum in quibusdam morbis adeo presentem artis huius opem sentimus, velut in anginosis, synochis, colique doloribus ubi sanitatem morti coniunctam persæpe videre licet? Quamobrem & à Dijs tractatam, & eos qui tratarunt pro Dijs habitos hoc ipso invento, divisque ipsis ea indiguisse, nihil mirum vide ri debet. Omitto fabulosa de Appolline, ut dixi, & Æsculapio. Christus quem nemo addubit Deum fuisse, nihil maius egit, nihil frequentius quam quod medicinam, sed suo more (divino scilicet) exercebat, ægros omnis generis sanando. Idque etiam per spiritum

tum sanctorum discipuli verbis docet dicens : *Marc.*  
*6. Jacob. c. 5.* Aegrotat vestrum aliquis, ad-  
vocet ecclesiarum seniores, qui eum in Domini no-  
mine oleo ungant : pro eoque supplicant : &  
fidei supplicatio egrum servabit, cumque alle-  
vabit Dominus. Ille idem, ubi Dei nomen  
deponit, quasi ex hominibus unus medici as-  
sumpsit. Sic etiam ex veteri lege *Helias* Na-  
amanum Syrum à lepra : angelus *Tobiam* à  
cæcitate liberavit. Extant & quotidie tabellæ in  
delubris appensæ, illorum qui divinis votis eti-  
am divina ope liberati sunt à morbis : ut opus  
ipsum ac finis in nullo ab his quæ a Diis impe-  
tramus, dissentiat. Hominum vero qui artem  
exercuerunt, atque ob id à vetustate divinitatis  
nomen & opinionem promeruerint, neque e-  
xempla desunt, *Chironis*, *Machaonis*, *Poda-*  
*lirij*, *Hippocratis* aliorumque : adeo ut parum  
abfuerit quin *Paulus* & *Barnabas* ob id à *Lystren-*  
*sibus* pro diis colerentur : sed mos etiam nunc  
manet. Beatos enim ac sanctos vocamus, at-  
que in Divorum numerum referimus, quorum  
supplicationibus sanitatem languentes adipiscun-  
tur : inter quos non minus ullo alio *Rochus*,  
vir pauper, ubique colitur : ut constet opini-  
one hominum nihil tam esse divinum, quam  
hominum sanationes. Quinimo & divi ipsi hac  
arte indiguisse, non solum eam exercuisse viden-  
tur. *Homerus*,

Tadz.

Τῶδ' ἐπὶ πάκηοι ὁ δηνύΦατε Φύρμακα πά-  
σῶμ. ἡκεστέ' ----

De Marte loquens. Ad quos alludit Virgilius de Venere, dum vulneratum Æneam curare student, dicens:

*Hic Venus indigno nati concussa dolore  
Dictamnum genetrix Cretea carpit ab Ida.*

Quasi etiam minores dij aut ope huius disciplinæ indigerent, aut non sine ea vellet quemquam curari posse. Quinimo cum Æsculapius in templo Epidaurio ferretur languentes per somnium sanare, aut admonere de ipsa sanatione, non aliud faciebat quam ut conquisita illis ac præcipua auxilia ostenderet. Sed a fabulis rursus ( si modo fabulæ sunt ) ad Divos nostros redeamus. Ipse Paulus, qui etiam mortuum suscitaverat, Timotheo viro sancto scribens, iubet ut vinum ob ventriculi imbecillitatem assumat: adeo vero hoc magni facit Beatus Augustinus ut parendum medicis adversus etiam constitutiones suadeat. Occasionum vero maximarum rerum, quæ vel ope medica restitutæ sunt, ut in Alexandro Magno, per Philippum medicum: Atheniensibus, ab Hippocrate, dum peste laborarent in Augusto, per Antonium Musam: seu perierint, velut cum per morbum C. Caligula seipsum & imperium Romanum pessum dabat: & cum parum ante nostram ætatem male curato Bartholdo, militum classis Venetæ præfecto, res non solum Veneta,

sed

sed Christiana inclinavit, Turcica evecta est (ne longius repetam) neque ulla ars magis fœcunda est : nec si exempla referre velim, dies ipsa suffictura sit. Sed neque minus ipsis professoribus utilis, quam languentibus aut etiam his qui sani, quoquo modo illius ope uti volunt. Seu enim nomen seu divitias aut amicos parare velis, disciplina nulla melius aut uberior præstare potest. Omitto rationes, quæ omnibus manifestissimæ sunt, ad ipsa exempla venio. Adeo vero in quibusdam horum claret, ut non solum præcellat, sed sola sit, nulla enim ars esse videtur, imo neque potentia ulla aut dignitas, quæ sine invidia, sine iniuria sineque offensa benefacere possit, quemadmodum ars medica. Divitias quæritis ? hæc dat & tantas & tam repente, ut si exempla referre velim, fabulas narrare videar.

Omitto antiqua, quæ Hippocrati Artaxerxes obtulerit, quæ Phalaris Polycleto Messenio dederit : aut quæ Alexander Magnus Critobulo sanato Philippo illius patre, quæ Democides à Polystrate Samiorum tyranno, qui etiam aureas compedes à Dario Persarum rege accepit : quantum Crinas opum moriens reliquerit, cum jam vivens proprijs sumptibus urbis muros instaurasset : quoque Erisistratus ab Antigono curato illius filio sexagies mille aureos philippeos accepit, duorum tantum exemplorum quæ paulo ante nostram ætatem contigerunt, meminisse fac erit

erit. Thadeus Florentinus non nisi quinquagenis aureis coronatis in singulos dies pactis extra urbem proficisciabatur. Idem cum ad Honorium Pontificem, eius nominis quartum vocatus esset, centenos pactus est. Et tamen longè breviore spacio quam trium mensium decies mille accepit. Recitat Philippus Cominus Argentorati princeps laquem Cotierum in quinque mensium spacio præter pinguem, Episcopatum, accepisse quinquaginta quatuor millia aureorum coronatorum, à Ludovico Gallorum rege, eius nominis undecimo: cum tamen Rex ipse eo morbo obierit. Sed ut mihi videtur non hoc donum fuit, quod quasi vi, vel metu extorsit: non merces bonæ valetudinis, cum ut dixi, rex ipse obierit, sed latrocinium. Quinetiam medicorum familiam, quæ nunc in tota Hetruria regnat, à medico quopiam ortum habuisse verisimilimum est. Quā obrem hac arte etiam ad regna paratur aditus: quo sit, ut etiam nobilissima sit: neque reges ob id eam exercere puduit. Hermes Trismegistus Ægyptiorum, Ponti Mithridates, Arabum Sabiel, Gyges & Sabor Medorum: fuit & Mesue regis Damasci nepos. Sed non tam laudabile est à paucis probari, quām ab omnib. Ab omnibus dico, quoniam quæ divinis scriptis & sapientia immensa probantur, omni laude digna prorsus sunt. Inde illud Iosuæ Syrachi: Medicum suis premijs affice, ut habeat ea quibus opus est: nam cum

cum creavit Dominus. Est enim à supremo medicina, & à rege stipendum accipit. Medicis scientia caput extollit, ita ut proceribus sit admirationi. Dominus creavit ex terra medicamenta, quæ prudens homo non fastidit. Nonne ligno dulcuit aqua amara, ut ejus vis ab hominibus cognoscetur? Ipse scientia hac donavit homines, ut suis miraculis gloriam conserueretur. Per hæc medetur, eorumque dolores tollit. Ex his & compositiones facit se plasius ad suavitatem, & malagmata ad valetudinem: nec ullus est ejus operum modus, ea est ab illo per orbem prosperitas. Fili, in morbo tuo Dominum ne neglige, & ipse te sanabit: amove culpam, rectas habe manus, & ab omni peccato cor tuum expurga: obmove suaves odores, & similagnis monumentum, opimumque libamen, ut qui non conferas, & da medico locum, utpote cuius autor sit Dominus: ne ñe à te discedat cum eo sit opus nam & ipsi Dominum orant ut sibi lenimentum secundet, & uitæ causa sanationem. Qui in creatorem suum peccat, incidet in medici manus. Hoc testimonium: quo magis demiror eos qui preceptis negligunt, exultaque omni ob quæstum & ambitionem prorsus humanitate, cum pro divino opere carnificinam exerceant, sperare audeant ut vel minima portionis huius laudis sint participes. Sed hæc mittamus, quæ omnibus bonis

notissima sunt: nobis vero si boni, si sapientes, si artis periti non estis, frustra conabor persuadere. Ad institutum redeamus, non solum praconis divina scriptura medicinam extollit, sed ipsis operibus atque præceptis. Quid illa antiquæ legis instituta, ne carnibus animalium, quæ ungulam non divisam haberent, non suillis, non suffocatis uterentur? de avium quoque delectu, ac cæterorum eduliorum de elephantorum separatione, de tot balneis & abstinentia à Venere tempore fluxus mensium, nonne hæc omnia præter animæ repurgandæ commoda etiam valetudini bone corporis ad amissim convenient? Simile est apud nos præceptum illud, quo diebus duobus in singulas hebdomadas (ita vocant spaciū septem dierum) à carnium esu prohibemur, Nobis etiam præceptum est jejunij quadraginta dierum: quod qui negligunt per luxuriam & impotentiam, sepe magnis calamitatibus morborum, imò & intempestivæ mortis opprimuntur. Sed non solum sacris scripturis, verum etiam poetis, oratoribus philosophis quæ commendatur Homerus.

ιητέος γαρ ἀνὴρ πολλῶμεν τάξιος ἀγαθομ.

Et Ariosteles in primo de Republica; Et patri familias & principi Reipublicæ medicina magis quam ars parandarum divitiarum necessaria est: hac enim res habetur, illa bona valetudo. Nemini dubium est modesta laude, ut solet eam omnibus artibus præposuisse: cum constet magis necessariam

Sariam esse patrifamilias bonam valetudinem, quam rem familiarem: & principi in Republica bene valere, utilius sit quam opulentam habere Rempublicam. Et Plutarchus in libello de Bonæ valetudinis præceptis: At medicina (inquit) sic est de numero disciplinarum liberalium, ut politiæ splendore iucunditate nulla sit inferior. Porrò mercedem magnam abunde addit sui studiosis, nempe corporis salubritatem ac prosperam valetudinem. Cicero majore medicinam honore dignatur, cum omnia ad illam referat commoda, quæ vitiatis animis aut corporibus aut casibus adhibentur. Ut illud: Ita sum levatus, ut Deus mihi aliquis medicinam fecisse videatur. Vel id. Quibus autem artibus aut prudentia major inest, aut non mediocris utilitas queritur, ut medicina, architectura? Talia multa non solum ille, sed & quisque fermè egregius autor de hac divina arte prædicat. Verum majaora sunt testimonia, quæ à miraculis artis sumuntur, quam quæ laudibus autoris. Vespasianus igitur imperator, ut majorem divinitatis opinionem nanciseretur, Imperiumque sibi & filijs stabiliret, medicę artis exemplo duos curavit infirmos. Quod etiam à Pyrrho factum legimus: & nunc Gallorum reges imitantur strumas solo tactu sanantes. Refert Erasmus, nostri seculi imaginum decus, Calceranum medicum potionē

quadam purgata , magna vermium multitudine hominem à dēmonio , quo Germanicè loquebatur , cum nunquam Germaniam invisiſſet , liberasse . tanta est huius artis vis , tanta excellētia . Non audita , non ſcripta referam , quā ego vidi , quęque peregi ſolum recitabo . Laborabat mulier doloribus intēſinorum affiduis , nec prodeſſe videbantur ſomenta , non lenia medicamenta , non excogitata vivendi ratio : adhibuimus catapotia , triginta octo dentes excludiſit , rurſuſqüe numerum alium non paruum , erant tamen e glutinosa pituita , Ita hæc divina ars non ſolum corpora à morbis , ſed animos etiam à ſuperſtitione liberat . Quo minus demiror patrem Galeni ſomniis admonitum ut filium medicinę traderet , Hippocratem ut ad Democritum ſanandum pergeret , arque alia ſexcenta huiuſmodi Deorum curæ argumenta de hac ſacra diſciplina . Cacodæmonas propellere multi profitentur , ſed quo tuſquisque ſine ſulphure , vitis albæ aqua , alijsque eiuscemiodi acrīoribus ac efficacioribus pharmacis ( Vt maniſtum ſit uim inesse arti , & dēmonas moibos eſſe , ſed occultioris cuiuſdam naturæ . Iam verò videmus quid ipſa per ſe omnibus externis orna- mentis auxilijsque nudata polliceatur ac præſtet . Finem enim eius bene valere nemo ne- gat : hocque tanti eſt , ut neque divitiæ neque gloria , nec potentia , nec filij nec amici , imo

ne

ne ipsa quidem sapientia aut uirtus, ubi hoc ipso destruamur, nos beatos efficere queat. Finge hominem morbo gravi atque insanabili ad mortem properantem, quid illi bonum, quid dulce aut iucundum esse aut videri, aut saltem conditionis acerbitatem lenire potest? At medicina dum morbos amovet dum vitæ hominem restituit, omnium bonorum, omnium voluptatum, quas per illam consequimur causa est. Quid alijs contigerit nescio, patrem me filiosque meos superstites ob peritiam artis medicæ illius, ac meam planè scio. Præter enim quod in rudem medicum facile impingere fuisset in tam difficillimis ac penè deploratis morbis, multo verò facilius, imò certè in minus diligentem: nunquam sane in quenquam, qui simul tam bene & artem & naturæ nostræ propria nosceret, incidere potuissemus. Quamobrem cuique expediret propter se suosque, etiam si medico uti vellet, artem ipsam tenere: ut quæ medicus perperam non ex arte, aut per incuriam, aut usui suo suorumque, aut naturæ in commoda licet ex arte delinquit, corrigere possit. Quæ etiam causa est, ut plerique optimorum medicorum modo non supra modum avidi sint, dicitiarum & ambitionis, aut casu aliquo pereant, ad extremam senectutem ac satis incolumes perueniant. Nam Hippoc. prope centesimum, Avenzoar etiam ad centesimum trigesimum

quintum annum pervenisse, constans omnium opinio est. Cum igitur hac una disciplina tot & tam magnis incommodis obviam eamus, procul posita devitemus, ingruentia avertamus, iam op̄rimentia perturbemus, insidentia expellamus si-  
ve domi sive foris sive in ipso itinere, à nascenti-  
bus à nondum natis, à pueris, adultis, iuveni-  
bus, senibus, quippe quæ illius incommoda a-  
deo minuat, ut apud Ciceronem in Catone me-  
lior sit conditio senis præscripto viventis artis me-  
dicæ, quam adolescentis luxuriose ac nequiter (ita  
enim apud illum Cato de se ipso gloriatur dicens  
Sed tamen (ut vos videtis) nan planè me enerva-  
vit, non afflixit senectus: non curia vires meas de-  
siderat, non rostra, non amici, non clientes, non  
hospites. Et rursus: Nemo adhuc convenire me  
voluit, quin fuerim occupatus. Potest enim e-  
xercitatio & temperantia, etiam in senectute  
conservare aliquid pristini roboris quænam utili-  
tate illi conferri poterit? Ad dicetis, Romani tum  
hoc tanto commido sexcentis annis carere volu-  
erunt, nec unquam fœlicius vixeré quam cum si-  
ne medicis civitas fuit. Nec perpetuo defuere  
Senatus consulta, quibus medici philosophique  
ac mathematici ex usbe tanquam pestes noxiæ ex-  
igerentur. Qui mos etiam nunc apud Turcas vi-  
get, & tamen gente illa nulla ferocior, nulla fe-  
liciar, nulla numerosior. Cato quoque & Pli-  
nius eiusdem artis sunt scriptores & accusatores e-  
gregij.

gregij. Adrianus etiam Imperator illud vulgatum reliquit moriens.

πολοὶ σρατηγοὶ καείαν απόλεσσαν,  
πολοὶ δὲ ιατροὶ τὸν βασιληαπόλεσσαν.

Videntur etiam morbi ad perfectionem animi facere. Et Platonem referunt quæsse locum in urbe minus salubrem in quo habitaret : quoniam existimaverit robustiore in corpore animi vires magis languescere. Hæc & talia multa à paradoxis parum abhorrentia, quæ magis defendi solent ad artis oratoria vires ostentandas, quam quod vel vera sint, aut veris similia, digna responsione non existimans, præteribo : atque illos potius egros esse iubebo, deinde felicitatem suam prædicare, animique fortitudinem extollere sinam. Quoniam quod ad Platonem attinet nihil minus credendum sit quam ut ex habitatione morbum quæsierit, cum mille modis alijs morbi causas quærere potuisset : nec familiares amices clientos, discipulos in idem coniçere periculum, atq; prode re. Sed si modo vera hæc sunt, forsan hac ratione devitare frequentiam voluit ipse sibi confidens propter eximiam omnium abstinentiam. Itaque ut cunque res se habeat, omnia potius sunt excogitanda, quam quod inutilis sibi atque alijs esse voluerit. Quinimo potius hac ratione studijs suis operam dare, atque libellis suis quos quotidie facitabat incumbere. Romanos vitasse medicinam, cum vitando illam maximè observaverint,

nego, médicos concedo : quod & Turcæ facti-  
 tant : nam & inediam servant, & catapotia de-  
 vorant, alijsque præfidijs artis utuntur, velut e-  
 tiam venæ sectione. Itaque maluerunt artem  
 imperfectam habere securam, quam eum pericu-  
 lo in tanto hominum perfidia perfectiore frui.  
 Quanquam perfectio ad paucos perventura foret,  
 fraus in multos. Hæc ratio Romanorum ac Bar-  
 barorum plerumque quæ non in artis vituperati-  
 onem, sed artificum solum cedit. Possem me  
 excusare de inculto ævo, de rudi gente, de feri-  
 nis moribus sed nobis à veritate ipsa discedere  
 haud licet. Qui vero illud adducunt ex sacris  
 literis, Fortitudo mea in imbecillitate perficitur:  
 verbum æœthævia non recte interpretantur, ut qui-  
 dam imbecillitatem alij absurdius infirmitatem,  
 etiam pro infirmitate morbum intelligentes, cum  
 nullus Apostolorum aut discipulorum in Sacris  
 literis unquam legatur ægrotasse : sed verbum il-  
 lud ut à Paulo interpretandum est, infortunijs  
 seu calamitatibus : quales explicat, carceres, ver-  
 bera, accusationes, contumelias, atque eiusmo-  
 di. Quod vero ad exercitationem attinet (hoc  
 enim secundum est genus eorum, à quibus nobi-  
 lilitatis, decoris, utilitatis ac voluptatis ratio  
 sumi debet) nulla in parte alijs inferior artibus est.  
 Vbiq[ue] habet quod agat torpet Imperator sine  
 milite. Iuris consultus inter arma silet, nec nisi  
 magnacum mole librorum consulere potest: præ-  
 scriptos

scriptos habet limites, inter quos iudicet, neque enim affinibus, aut cognatis litigantibus iudicem se potest exhibere Provocationem habet iudicis sententia, tametsi iusta, medicorum consulta non habent. Raro Iurisconsulti de vita, medici semper de summa rerum tractant. Vitari potest iudicium dominatio, composita inter partes lite, sed non cum morbis pax aut induc*it* vel pacta intercedere possunt. Auxilium medici die noctuque præsto nobis adest, beneficium sine offensa, lucrum voluntarium non exortum, gratia principum, favor populi, amicorum multitudo, existimatio, opes divinitatis opinio. Rhetor friget apud plerasque nationes, nunquam in eadem cap*a* ab omnibus probatur: saepius iniusta quam iusta consulit, innumeris occasionibus impeditur: non sine multis verbis, non sine magnis studijs, non absque ingenii excellentia, ac memoriae tenacitate, denique non sine maximis animi ac corporis astubus, ad gloriam ascendere potest aut finem suum obtainere. Medicus ubique inventit præsidia, seu ex horto dum spaciatur, seu incultis locis dum iter agit, seu domi, seu apud pharmacopolas. Mediocre ingenium, mediocris memoria, labor mediocris: modo recta voluntas non desit, nec plus velis quam possis sufficiunt. Obiicies intempestivos labores, vigilias, iudicia quorundam perversa, qui etiam bene acta perpetram quasi inconsulto facta calumniantur: inopinatos

pinatos præterea casus, insidias aliorum medicorum & maledicentiam : tum quod maximum est, assiduam & servam operam, adeò ut miserior sit quacunque alia arte. Quin etiam versari perpetuo inter fœdia & tristia, ut olim servorum tantum esset officium. Sit ita sane : nonne omnia hæc quæ videmus, quæque obſcœna & fœda vocas nobiscum ferimus, intusque habemus ? Neque triste est versari cum convalituris, sed iucundum : nam morituri presbyteris relinquuntur. Reliqua nulli contingunt, nisi ei qui per imprudentiam labitur, aut qui vitam & eius commoda pro ambitione & lucro venditat : mihi inquam totis triginta annis, quibus medicinam exerceo, vix triginta vicibus, imo ne tot quidem, hi casus obtigerunt : non servietis ullis, si artem ea integritate exercueritis, ut illi potius qui nostra opera utuntur, nobis ferviant, quam nos illis. Præterea cognoverint vos nullis pecuniis adduci posse, ut serviatis : ergo integrum cuique relinquitur vel legitime artem exercere, nec cuiquam servire : aut servire, nec legitime artem exercere, sed obiter & pro illius fine propolita vana gloria, ambitione opibusque. Iudicia vero imperitorum vulgique ac vanas obtrectationes quisnam unquam effugit seu hac seu alia in arte ? habet tamen hoc commodum medicina, quod terra celerrime, quicquid evenierit sinistri, obtegit atque occultat. Si vero qui peritus est, nihil horum vix in tota vita

vita bis absque certa predictione, adeo ut liber sit ab omni culpa, evenire potuerit. Porro de assiduitate & serva opera non contendeo, habet omnis dignitas, omnis virtus, omnis divina operatio, secum coniunctam assiduitatem. Cœli nunquam ab opere suo cessant, non natura, non mens, non Deus denique ipse : quid miraris ergo eum qui medicinam recte exercere velit, perpetuo quasi operi mancipatum esse ? Illud solum quod paucissimi animadvertisunt, forsan malum est, extremo morbo cognoscere ac scire se moriturum. Sed huic malo ( si modo malum est mori probo viro) multis modis occurritur. Primum, quod multi absque morbo intereunt : deinde, quod breve est illud mœroris spacium : demum quod unicuique si libeat, vitare hanc curiositatem liceat, nec lotia inspiciendo, neque venas tentando. Ergo de exercitationis commodis hæc sufficient: quæ ut non mediocri admiratione digna sunt, ita quicquid in contemplatione repositum est, plane divinum est. Est autem hæc tertia pars & non minima laudis eius. Quærit medicus, an morbi, an sanationes à Deo immittantur, quemadmodum facit Hippocrat. sursumque mentem dirigens, Theologus evadit. Idem quid sit anima, an mortalis an immortalis, idem quid astra possint, & eodem modo an ab illis morbi sanationesque pendeant, ab ijsdem enim utrumque fieri, à quo alterum eorum fiat verisimile est. Ita motus siderum, &

exor-

exortus considerans, atque occasus, tempora quoque geniturarum redditus non mediocrem astrologiae partem tractat. Inde ad ventos, anni constitutiones, pluvias, serenitatem aut nubes siccas, frigora caloresque Metheorologicum dicetis exquisitissimum. Rursus cum domorum considerat structuram commodaque, archiectum peritis simum. Quibus ventis exponenda fenestræ, porticus, atrium : quibus lignis constare debeant ædes : quæ cubicula aut cœnacula & quomodo construenda, ut hyemali sole tepeant, æstiva aura refrigerentur. Mitto coquorum artem, quam penitissime oportet ut norit, totque alia quæ nunc enumerando potius ad ostentationem protrahi oratio forsitan videri posset, quam necessitatis causa recitari : hæc solum adjiciam, quæ ad medicum tantum pertinent, eique sunt propria : quorum scientia adeo admirabilis est, ut unus medicus plura scire videatur, quam universi alij artifices aut Philosophi. Quid enim maius dici apud mortales aut excogitari potest, quam hominem unum non solum noscere plantas omnes ac fructus tum lapides, metalla pisces, aves, serpentes, quadrupedia membraque illorum universa : sed generationem tum illorum tum etiam eorum animalium quæ insecta dicuntur? sed formam & regiones ubi nascantur, quæque optima pessimave sint,? & quod maximum est, vires, secretasque potentias ac miracula ? Ut si

hac in parte medicus philosopho conferatur, videatur sane philosophus parvulus, viro comparatus. Nonne medicus herbas, arbores, fructus, semina, flores solus depingit? solus quid possint novit? atque idem in omnibus que terra producit facit? Quid dicam post modum de dilectione illa admirabili corporum nostrorum, deque notitia usus uniuscuiusque partis? Ille solus vim etiam elementorum novit, ille mortum perturbationes etiam sanare docet: nonne haec (ingenue fateamur, quae manifestissima sunt) prope ad divinitatem accedunt. Quid subtilissima illa pulsuum atque urinarum cognitio, ac adeo admirabilis, ut multi eam esse negent, in qua cum natura ipsa cum ipso rerum opifice (sed tamen id mementote, omnem humanam scientiam umbram quandam esse, cum ad divinam immensitatem comparatur) contendere velle videtur? quid dicam de divinis medici periti oraculis in praedicendo, cum & mortem & salutem, & tempora & qualitatem adeo norit, ut nullus vates, nulla deorum responsa mereantur illis conferri? Quamobrem & de quorundam improbitate queri licet, qui & hoc tantum miraculum non solum in seipsis ob imprimitam perire sinunt, sed etiam ex tota arte adimere conantur, audentq; inficiari, quod illi ob ignorantiam & avaritiam ac superbiam efficere nequeunt, neque fieri posse, nec artis ipsius partem esse.

Accessit

Accessit huic tanto spectaculo ac tam præclaro invento quorundam nuper strenuissimorum Heroum (ita enim merentur appellari) laboribus facunda oratio ac latina, ut nihil nunc suavius aut iucundius legi possit, ut vere nunc huic disciplinæ Horatianum conveniat.

*Et prodeſſe volunt, & delectare poetæ,*

Quorum princeps fuit Nicolaus Leonicenus Vicentinus, post quem sequuti ex Germania, Gallia, Anglia, Italiaque multi alij : Laurentianus Copus Andernacus, Cornarius, Reginus, Linacer, Cruserius, Vasseus, Gerardus, Rota, Felicianus, Fichardus, Crassus, Sylvatrius, aliquæ plures : ut nec Sicilia huius honoris expers fuerit Balanio suo interprete, nemo in his requirat ordinem, nemo se prætermissum queratur. Sed ut nobis in mentem venit, ita retulimus. Ob quæ commoda & iucundam lectionem hæc disciplina iam à nullis prætermitti solet. Memini vidisse Andream Alciatum, nostræ ætatis magnum lumen, operam dantem Galeni libris. Quid Erasmus? Budæus? Rhodiginus? partim Iuris consulti, partim Theologi : omnes facundia Græca latinaque viri ornatissimi, & qui suorum laborum præclara monumenta posteris reliquerint. Sed & antiquorum, ut Ælianus autor est, Pythagoras, Plato, Aristotelesque medicinæ operam dederunt. Quæritis forsitan quinam hac in disciplina viri clauerint? nimis apertum est quam ut referatur. Quis nescit

nescit Hippoc. illius fuisse principem, continua successione ab Æsculapio deductæ: Donatum quoque si vera filius eius refert, ab Atheniensibus civitate & statua. Proximus illi Galen. imperatoris medicus: cuius pauciora extant monumenta quam vellemus, plura quam credere fas sit, hominem potuisse scribere. Post quos Græcorum, Arabum & Latinorum magnus numerus est illustrium virorum: nec nostro ævo desunt, qui suis laboribus, industria diligentiaque aut amissa iam recuperarunt, aut etiam scriptis suis ad artem multa adiecerunt. Itaque ob hæc tot tantaque privilegia à nobis laudari, & à vobis ac ab omni inter divina munera consecrari meretur:

*Encomij Medicinae Finis.*

100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200  
201  
202  
203  
204  
205  
206  
207  
208  
209  
210  
211  
212  
213  
214  
215  
216  
217  
218  
219  
220  
221  
222  
223  
224  
225  
226  
227  
228  
229  
230  
231  
232  
233  
234  
235  
236  
237  
238  
239  
240  
241  
242  
243  
244  
245  
246  
247  
248  
249  
250  
251  
252  
253  
254  
255  
256  
257  
258  
259  
260  
261  
262  
263  
264  
265  
266  
267  
268  
269  
270  
271  
272  
273  
274  
275  
276  
277  
278  
279  
280  
281  
282  
283  
284  
285  
286  
287  
288  
289  
290  
291  
292  
293  
294  
295  
296  
297  
298  
299  
300  
301  
302  
303  
304  
305  
306  
307  
308  
309  
310  
311  
312  
313  
314  
315  
316  
317  
318  
319  
320  
321  
322  
323  
324  
325  
326  
327  
328  
329  
330  
331  
332  
333  
334  
335  
336  
337  
338  
339  
340  
341  
342  
343  
344  
345  
346  
347  
348  
349  
350  
351  
352  
353  
354  
355  
356  
357  
358  
359  
360  
361  
362  
363  
364  
365  
366  
367  
368  
369  
370  
371  
372  
373  
374  
375  
376  
377  
378  
379  
380  
381  
382  
383  
384  
385  
386  
387  
388  
389  
390  
391  
392  
393  
394  
395  
396  
397  
398  
399  
400  
401  
402  
403  
404  
405  
406  
407  
408  
409  
410  
411  
412  
413  
414  
415  
416  
417  
418  
419  
420  
421  
422  
423  
424  
425  
426  
427  
428  
429  
430  
431  
432  
433  
434  
435  
436  
437  
438  
439  
440  
441  
442  
443  
444  
445  
446  
447  
448  
449  
450  
451  
452  
453  
454  
455  
456  
457  
458  
459  
460  
461  
462  
463  
464  
465  
466  
467  
468  
469  
470  
471  
472  
473  
474  
475  
476  
477  
478  
479  
480  
481  
482  
483  
484  
485  
486  
487  
488  
489  
490  
491  
492  
493  
494  
495  
496  
497  
498  
499  
500  
501  
502  
503  
504  
505  
506  
507  
508  
509  
510  
511  
512  
513  
514  
515  
516  
517  
518  
519  
520  
521  
522  
523  
524  
525  
526  
527  
528  
529  
530  
531  
532  
533  
534  
535  
536  
537  
538  
539  
540  
541  
542  
543  
544  
545  
546  
547  
548  
549  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
559  
560  
561  
562  
563  
564  
565  
566  
567  
568  
569  
569  
570  
571  
572  
573  
574  
575  
576  
577  
578  
579  
579  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
589  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
599  
600  
601  
602  
603  
604  
605  
606  
607  
608  
609  
609  
610  
611  
612  
613  
614  
615  
616  
617  
618  
619  
619  
620  
621  
622  
623  
624  
625  
626  
627  
628  
629  
629  
630  
631  
632  
633  
634  
635  
636  
637  
638  
639  
639  
640  
641  
642  
643  
644  
645  
646  
647  
648  
649  
649  
650  
651  
652  
653  
654  
655  
656  
657  
658  
659  
659  
660  
661  
662  
663  
664  
665  
666  
667  
668  
669  
669  
670  
671  
672  
673  
674  
675  
676  
677  
678  
679  
679  
680  
681  
682  
683  
684  
685  
686  
687  
688  
689  
689  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
698  
699  
699  
700  
701  
702  
703  
704  
705  
706  
707  
708  
709  
709  
710  
711  
712  
713  
714  
715  
716  
717  
718  
719  
719  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
729  
730  
731  
732  
733  
734  
735  
736  
737  
738  
739  
739  
740  
741  
742  
743  
744  
745  
746  
747  
748  
749  
749  
750  
751  
752  
753  
754  
755  
756  
757  
758  
759  
759  
760  
761  
762  
763  
764  
765  
766  
767  
768  
769  
769  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
779  
780  
781  
782  
783  
784  
785  
786  
787  
788  
789  
789  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
798  
799  
799  
800  
801  
802  
803  
804  
805  
806  
807  
808  
809  
809  
810  
811  
812  
813  
814  
815  
816  
817  
818  
819  
819  
820  
821  
822  
823  
824  
825  
826  
827  
828  
829  
829  
830  
831  
832  
833  
834  
835  
836  
837  
838  
839  
839  
840  
841  
842  
843  
844  
845  
846  
847  
848  
849  
849  
850  
851  
852  
853  
854  
855  
856  
857  
858  
859  
859  
860  
861  
862  
863  
864  
865  
866  
867  
868  
869  
869  
870  
871  
872  
873  
874  
875  
876  
877  
878  
879  
879  
880  
881  
882  
883  
884  
885  
886  
887  
888  
889  
889  
890  
891  
892  
893  
894  
895  
896  
897  
898  
899  
899  
900  
901  
902  
903  
904  
905  
906  
907  
908  
909  
909  
910  
911  
912  
913  
914  
915  
916  
917  
918  
919  
919  
920  
921  
922  
923  
924  
925  
926  
927  
928  
929  
929  
930  
931  
932  
933  
934  
935  
936  
937  
938  
939  
939  
940  
941  
942  
943  
944  
945  
946  
947  
948  
949  
949  
950  
951  
952  
953  
954  
955  
956  
957  
958  
959  
959  
960  
961  
962  
963  
964  
965  
966  
967  
968  
969  
969  
970  
971  
972  
973  
974  
975  
976  
977  
978  
979  
979  
980  
981  
982  
983  
984  
985  
986  
987  
988  
989  
989  
990  
991  
992  
993  
994  
995  
996  
997  
998  
999  
999  
1000

PHILIPPI MELANCHTHONIS

ORATIO

DE ARTE MEDICA,

Sive

DE HONORE HABENDO

CORPORIBUS NOSTRIS.

**C**Rauissimè præceptum est in doctrina Ecclesiæ , honorem tribuendum esse corpori humano. Qua adpellatione non tantum hoc significatur, quod Philosophi dicerent, tuendam esse valetudinem , & depellendos morbos , seu conseruandas esse vires corporis , quantum fieri potest. Sed cùm honos nominatur , causa comprehenditur , propter quam valetudo magna cura tuenda est , videlicet , quia corpus ad diuinos usus conditum est. Significat enim honos confessionem antecellentis bonitatis , quæ primùm Deo debetur, deinde cum transfertur ad alias res , tamen propter Deum eis tribuitur ; ut honorem tribuimus parentibus , imperijs , artibus , legibus . Artes enim ac leges scimus radios esse sapientiæ , quæ in Deo est æterna & immota , per quos se se vult agnosci & vitam regi. Sic imperia scimus ordinem esse sapientiæ Dei , & conseruari à Deo ,

ac intelligimus velle Deum nos illi ordini subjectos esse. De parentibus verò scimus, & castitatem coniugij, arcano Dei consilio sanctam esse, & generationem Dei opus esse, & ab ipso conseruari, & velle eum ut sit mutuum fœdus & mutua *σύρμη* inter parentes & natos, quam uult esse commonefactionem de suo amore erga filium & erga nos. Ita cuicunque rei honorem tribuimus, significamus aliquod in ea diuinum bonum esse, propter quod ea res & conseruanda & anteferenda est ceteris rebus. Sicut Aristoteles inquit, *τίμιον* esse quiddam diuinum.

Cum igitur præcepit cœleste mandatum, ut corpora nostra honore afficiamus, querendum est quæ res divina propria sit corporum nostrorum, quæ tamen videmus esse fragiles massas ceu testas ex luto concretas. Hic primum de cauſa finali dicam.

Quanquam hæc corporea moles ex luto facta est, tamen ad hunc usum condita est, ut in tota æternitate domicilium & templum sit Dei, & organum actionum dei maxime admirandarum. Nascuntur in corde vitales spiritus, & inde sursum magni halituum æstus velut Euripi vehuntur in cerebrum, qui postea cerebri familiaritate mitores & lucidiores facti, cerebrum adiuvant in cogitationibus formandis, illi vero fluctus, qui sunt in thalaniis cordis, accendent affectus.

In hanc totam halituum scaturiginem, vere se inserit

inserit divinitas : In cerebro format notícias lucidores, & firmorem adhesionem : in Corde affectus tales, qualis est ipse Deus. Ad hunc usum cum condita sit hominum natura, & ut scriptum est, cum velit Deus omnia in omnibus esse, recte dictum est, Corpus honore adficiendum esse. Cogitemus igitur quanta scelera sint expellere Deum ex hoc suo domicilio, ut ejiciunt qui se libidinibus aut aliis flagitiis contaminant : vel omnino destruere hoc templum, ut magna multitudo hominum perdit corpora ferro & aliis machinis : Sed multo plures crapula, illuuiie, contemptu remediorum. Hæc lues vere ~~impudicac~~ assidue per totum genus humanum vagatur. Hæc magna & atrocia scelera agnoscenda & corrigenda sunt, Et sape cogitandæ sunt cause, cur Deus iussit honorem habere corpori.

Dixi de causa finali quia sit conditum ut sit templum Dei. Consideremus etiam ipsius officii artem, quæ cum vere sit divina ; ut ostendat qualis sit Deus, propter hanc causam etiam corpus honore adficiendum est. In Deo præcipuae res sunt, sapientia, veritas, bonitas, beneficentia, iustitia, castitas, constantia in bono, quod ipsius sapientia discernit à malo. Item, liberrima electio. Sic est autem conditus homo, ut membra corporis sint harum optimarum rerum instrumenta, In cerebro lucent notíciae & veritas, intellectus numerorum, radii legis divinæ, discernerentes

nentes recta & non recta. Et à cerebro nervi oriuntur, qui cogitatione impelli possunt, & externa membra vel crient vel coercent, ut actiones cum recto iudicio congruentes effici possint, ut cum Achilles ardens ira non iniusta, gladium stringeret, tamen cum tacita cogitatio nervos seu habenas iuberet retrahere manum, nerui & manus recto iudicio obtemperant. Hanc sapientiam, libertatem, virtutem, adhuc utcunque in hominum natura reliquam esse videmus etiamsi languidior est, quam qualis initio condita est. Voluit tamen Deus in nobis adhuc lucere de sese testimonia & significationes, quæ commonefaciant, qualis sit ipse. Hanc in opificio hominis artem divinam esse fateri necesse est.

Hæc commemoravi non tam prolixè, ut magnitudo rei postulat, sed ut hoc tempore potui, ut auditores omnes ad cogitationem divinæ sententiæ invitarem, quæ præcipit, ut corpora nostra honore adficiamus, ac duarum rerum cogitationem adiungi volo, videlicet priorem de nostra negligentia in tuenda valetudine & conservando domicilio Dei, alteram de præsidio necessario, videlicet de arte Medica.

Profecto multum peccamus omnes, quod neglecto ordine in cibo, posu, somno, laboribus, denique in omnibus motibus animi & corporis, adfligimus naturæ uires, impedimus in nobis lucem

lucem diuinam permixtam nostris spiritibus,  
denique ante tempus nobis ipsis mortem consci-  
scimus. Hæc fiunt ab alijs magis atrociter , ab  
alijs minus , sed tamen omnes in hoc genere  
peccamus. Ac si quis putat hæc non esse curæ Deo,  
ualde errat. Toties enim repetita sunt præcepta,  
Non occidas , Non grauenter corda vestra cra-  
pula , Honorem habete corpori , Homicidæ,  
ebriosi , scortatores rëgnum Dei non posside-  
bunt. Qualis autem est hoc tempore plurimo-  
rum consuetudo , qui conueniunt ad crebra con-  
viuia , ut Lapithæ & Centauri , ibi cum se  
onerarunt sine modo cibo & potu, postea tumul-  
tuantur , et hos mōres' , seu fortitudinem , seu  
hilaritatem sine vicio esse existimant. Tu verò  
non iudicas scelus , quod paulatim tibi mortem  
consciscis , quòd domicilium Dei destruis , quod  
nunc in præsentia aut expellis aut arces Deum ,  
quo minus lœtari tuæ mentis & cordis tui possesi-  
one queat. Non magnum malum censes , quod  
multos dies temulentus et furens sine inuocatione  
Dei , & sine meditatione de Deo viuis. Extre-  
ma deniqe hæc calamitas est , quod excluso Deo  
irruunt in prophana pectora Diaboli , qui im-  
pellunt alios , ut mox ruant in cædes , alios ita  
tenent captiuos , ut postea in Repub. faciant eos  
patriæ , pestes , & ἀλαζογæs generis humani , qua-  
les fuerunt Catilina , Antonius , & similes. Vtinam  
horum magnorum delictorum turpitude cogite-

tur, & agnoscatur ira Dei, & multi abijciant hos malos mores, qui & priuatim multis exitio sunt, & totas gentes, Ecclesiam & imperia perdunt.

Hæc prius dicere necesse est, quoties de arte Medica dicendum est. Nam qui furenter perdunt corpora, nec Deum vindicem metunt, nec ullam moderationem in vita amant, his frustra de sapientia Dei, & de ordine seruando in victu & in medicatione concionamur.

Postquam igitur de emendatione morum breviter dixi, nunc addam paucæ de arte Medica, quæ monstrat vitæ præsidia, necessaria partim ad tuendam valetudinem, partim ad depellendos morbos. Hic si quis adeò barbarus est, ut nihil moueat manifesta utilitate in vulnerum curatione, in restitutione fractarum aut laxatarum pratiuum, & multis interiorum morborum depulsionibus, ac omnem naturæ considerationem, ac totam artem Medicam, & artifices omnes contemnat, ut sunt quidam Titanum similes, qui etiam cœlo bellum inferunt, Hos non conor disputando ad sanitatem revocare, sed ut Titanes dissipati sunt auditio horribili clamore asini, cui Bacchus insidebat in prælio, ita isti tandem aliquo asinorum clamore perterrefacti, pœnas dabunt, quod Deum & res diuinæ contumelia adfecerunt. Alios autem alloquor saniores, hos oro, ut uniuersam hanc rerum naturam intueantur,

tur, & cogitent eam non ex Democriti atomis casu & sine mente conflatam esse, sed summa arte à Deo opifice, sapiente, bono, benefico, casto & vindice scelerum, conditam esse & conseruari. Hic voluit ordinem in toto opificio testimonium de se se, & de prouidentia esse.

Longum autem esset de ordine in multis naturæ partibus dicere, de situ corporum mundi, de ordine motuum cœlestium, de vicibus temporum, dierum, noctium, hyemis & æstatis, de annua fœcundatione terræ, de plantis, de animalium generibus, de fabricatione humani corporis, de firmis & æternis noticijs in mente humana. Tantum hic pauca de ordine in victu & medicatione corporum dicam.

Res ipsa ostendit, singulari consilio Deum tanquam Patrem fideliter nobis prospicientem, distinxisse res nascentes, & alias velle nutrimenta esse, alias remedia. Quis enim vesci possit Mastiche, Achilleide, Gentiana, Myrrha, Aloe, aut multis alijs quæ in medicatione vulnerum constat esse saluberrima. Flexit etiam Deus mentes certorum hominum ad considerationem remediorum, & inquisitionem adiuvit, quo in studio animaduersum est, mirificam varietatem virium in res nascentes sparsam esse, ut aliae opem ferrent alijs membris, aliae præsidia essent contra alios morbos.

Hæc igitur naturæ aspectio, reuera est consideratio

deratio diuinæ sapientiæ, bonitatis & beneficentia erga nos, deinde & utilem esse vitæ manifestum est. Quare & propter gloriam Dei, & propter nostram utilitatem hanc dulcissimam doctrinam amemus, & grati beneficijs Dei fruamur, & eius sapientiam & bonitatem celebremus, & sciamus nos ei tantæ curæ esse, non ut huius fugacissimæ vitæ curriculo confecto, postea in omni æternitate nihil simus, sed ut in illa tota æternitate consuetudine eius fruamur, & veram eius sapientiam discamus, ad quam iter uult esse & tyrocinium huius breuis vitæ spacium.

Nequaquam enim sunt ciues Ecclesiæ cœlestis, qui in hac vita doctrinam de filio Dei discere noluerunt.

Tales erant & Physicæ & Theologicæ disputationes summorum hominum, primorum parentum, & deinde Nohæ & filiorum, & postea Joseph in Aegypto. Neque enim hanc philosophiam ab Aesculapio primum inchoo, qui non diu ante bellum Troianum natus est, cum filij Podalirius & Machaon exercitum Greæcum ad Troiam securi sint. Antecedit autem annis ferè mille annus diluuij, in quo familia Nohæ seruata est, tempus belli Troiani.

Fuisse autem in Noha considerationem naturæ eximiam inde æstimari potest, quia & animantia congregauit, & in arca toto anno pauit, & postea filijs suis vites ostendit, quas non existi-

mo tunc primum creatas esse , sed primun ipsi in ultima senecta monstratas esse à Deo , quia Deus foueri languesfactum corpus ætate , pleniore iam potu voluit , ac simul significauit venturæ posteritati , quæ erat futura imbecillior , opus fore deinceps tali potu .

Ac diu in familij regijs doctrina Medica & conseruata & propagata est , celebrata est Chironis Centauri schola , qui Achillem docuit artem Medicam . Et Eurypyli vulnera curat Patroclus remedij quorum usum ab Achille didicerat . Ac Homeres πνεύματα εἰσαν nominat , quæ veterum Scriptorum iudicio est ἀεισολοχία . Sed omitto orationem de artis initijs , quia nihil dubium est , primorum patrum sapientiam hanc fuisse , explicationem legis diuinæ & promissionis de Mediatore , & de reconciliatione , de causis calamitatum humana- rum , & de restitutione vita æternæ , ac deinde considerationem naturæ . Certe enim ab his anni descriptionem accepimus , & agriculturam , & panis coquendi artem . Ac Siracides recte adfir- mat utrumque , & remedia ipsa Dei opera esse , & artem à Deo ostensam esse . Sic enim de reme- dijs inquit : Dominus condidit ex terra pharma- ca , & vir prudens non fastidit ea . quæ sententia & autorem remediorum ostendit , & his Dei beneficijs uti , & gratis mentibus Deum celebrare iubet . De Medico autem inquit : Da locum Me- dico ,

dico, nam & ipsum Deus creauit. Item, Hanno  
nora Medicum, quia propter necessitatem Deus  
eum creauit, id est, Non remedia solum condi-  
dit Deus, sed etiam flexit mentes certorum ho-  
minum ad eorum inquisitionem, adiuvit studium,  
& regit consilium, & dexteram medicantis, nam  
sine Deo non est fœlix medicatio. Ipse est enim,  
ut scriptum est, uita & longitudo dierum. Item,  
In ipso uiuimus, sumus & mouemur. Verè Deus  
est vita fons & lagitor: sed uult nos reuerenter uti  
ijs rebus, quas vult esse vitæ adminicula, quæ  
ita sunt efficaces, cùm ipse eas adiuuat. Ita volu-  
mus ad medicationem adiungi & inuocationem  
Dei, & celebrationem beneficiorum eius. Hæc  
officia Deo grata sunt, non illa barbaries quæ  
& Dæum, & vestigia Dei in natura, & naturæ  
considerationem, imò totum vitæ ordinem con-  
temnit. Quam ob causam? quia legibus, literis  
& doctrinæ inimica est, ac metuit suis cupidita-  
tibus frenum injici legum & doctrinatum vin-  
culis. Ex hoc fonte doctrinarum odium oritur,  
non ex religione, et si quidam prætexunt religi-  
onem. Vos verò qui ideo doctrinæ studijs dediti  
estis, ut Deum & Dei opera à rebus malis discer-  
nere, & Dæum rectè inuocare discatis, & am-  
plectamini r̄s bonas, agnoscite hanc esse nor-  
mam doctrinarum.

Hæ doctrinæ expetendæ sunt, quæ opera Dei  
rectè monstrant, & in eis ostendunt testimonia  
de

de eo, confirmantia adensionem de prouidentia, ut excitentur mentes ad celebrandam eius sapientiam, bonitatem, & beneficentiam erga nos, & quarum doctrinarum usum prodeisse Deus generi humano voluit. nec delectet vos illa Cynica sapientia, quæ plausus apud stultos captat vituperatione doctrinarum, & ordinis, quem Deus in tota natura, & in vita hominum sancxit. Nobis quidem, qui mediocri sedulitate doctrinam propagamus, & magno labore ægrotis adsumus, damus consilia & remedia, & non sine dolore multa tristia spectacula cernimus, præcipuum adfert consolationem hæc ipsa causa, quod scimus Deum adprobare artem, & hæc nostra officia, ac velle eum, ut homines remedijs à se conditis utantur, velle etiam artifices esse, qui artem alijs tradant, & remedia exhibeant, & adiuuare eum fidelis medici officia, præsertim inuocantis ipsum, cum scriptum sit : Da locum Medico, nam & Dominus eum creauit, certè vult operam nostram non esse irritam. His consolationibus me confirmo, quoties ad ægrotantes accedo, & simul Deum vitae fontem & remediorum conditorem oro, ut ipse mentem & dextram meam gubernet. Scio magnam esse infirmitatem naturæ humanæ, nec ulli magis hoc norunt, quam Medici, qui & exempla multa vident, & sape cernunt ex leuibus offenditionibus oriri exitialia mala. sape conualescentes non seruato,

vato naturæ ordine, saeuicia redeuntis morbi extingui. sape tanta est corporis debilitas, ut nec cibum, nec remedia admittat. Hæc & si fiunt, tamen ordo diuinus non negligendus est, vult Deus & cibos & remedia exhiberi, id rite fiat, & eventus ipsi commendetur. Nam & amenitia & scelus esset, seni aut ægrotanti ne cibum quidem dare, quia non simili voluptate fruatur, ut iuvenis, aut recte valens. Legi divinæ atque ordini divinitus sancito obtemperemus, & Deum naturæ conditorem precemur, ut nos, quos languefactos scelere diaboli, tamen in hac infirmitate non vult subito extingui, servet, & concedat aliqua spacia, ut Ecclesiam inter nos colligat, quam ut semper in his regionibus colligat & gubernet, toto eum pectore oro.

DIXI.

38 236872.

